



M. 1. 770.

H. M. I. 386.



M

A

G

J

A

VITA
ALBERTI
WALSTEINI,

DUCIS FRIEDLAN-
DIÆ, &c.

Ex Italico

GALEACII GUALDI,
in Latinum sermonem trans-
lata.

Labore ac studio

JOSUÆ ARNDII.



ROSTOCHI,
Apud JOACHIMUM WILDIIUM

ANNO 1668.

74



ALBERTI
 VALLERII
 DUCIS BRUNSVIGIENSIS
 EX LIBRIS
 GALEACII GUALDII
 in
 ROSA
 ANNO 1608

neros
 spei
 amb
 cende
 prae
 quæ
 grand
 ano te
 ci cas
 erupit
 LENS
 perfid
 tiò, m
 broso
 mi ca
 serger





HISTORIA
ALBERTI WALSTEINI
DUCIS FRIDLANDIÆ.

§. I.

Habes hîc, *Lector*, difficilis va-
riantisq; fortunæ speculum, habes ex-
emplar ingenii, cujus vim insita ge-
nerositas extulit, conatusq; gloria ad summum
spei fastigium evexit, donec postremò quasi
ambitionis grallis inserta, fortisq; vices trans-
cendere molita extra funesti theatri scenam
præceps data expiravit. Habes effigiem famæ,
quæ postquam quaqua versum dimissa nil nisi
grande per orbem terrisq; tantum non & Oce-
ano terminata circumsonuerat, tandem in feli-
ci casu concussa lacrimoso fine in miserabilem
erupit eventum. Vides hîc Alberti illius WAL-
LENSTEINII magnificentiæ radios, quos una
perfidia suspicionis nebula adumbraverat ini-
tiò, mox vel in hoste miserandus interitus tene-
broso meruit occasu. [*Id quod vel solum
mi cantem in ista facie pulchritudinem ab-
stergere posse videatur, quippe cum a-*
liàs

liàs nevi unius labis deformitatem aspergat corpori, cuius venustas perfecta non censetur esse, nisi tota forma sit decora. Sic sæpè nimia magnarum cogitationum agitatio, quarum vel singulae generosi Ducis virtuti noscende sufficiant, maculam affert aliàs spectatæ famæ, & errorem si quis intervenitur altiori in luce sistit intuentibus: Neq̃ is verè potest censeri laude dignus, qui cum per omnem vitæ ambitum feliciter se gessit, in extremo stadio vitiis patitur se delassari. Est enim hoc quasi humani iudicii centrum, in quo non secus ac circini in mensurâ labor conquiescit, nec latiores ducit præmiæ laudumq̃ lineas, quàm quantitas ad ambitum rerum gestarum quadrare putat. Unde fieri plerumq̃ solet, ut quem in exitu famate invenit, eum semper fuisse narret posteris. Quapropter sapientis est errores suos, dum vivit, emendare. Mortuo quippe leoni nemo non audet barbam vellere, & post funera vulgo expirat amicorum fides. Verè beatus est, quem in medio constantique gloriæ cursu obvia mors sufflaminat.]

§. 2. Equidem non aggredior excusare vitia, applaudit enim delicto qui incrustat peccatum: Lectoris autem iudicium perinde exemplis

211

emplis informari potest malis ac bonis, si apis
Matinæ more delibet dulcia ad nutrimentum
mella, quomodo vipera è contrario ex optimo
flore venenum fugit, mortua verò medicamen-
ti vicem præstat. Lycurgus olim cum docere
parentes vellet, quo pacto filiis modestiam in-
culcarent, servos aliquot ebrios & morum ge-
stumq; fœditate omnibus ridiculos produxit,
ut quæ est in alienis vitiis attendendis curiosa
mortalium industria, postquam in illis contem-
plati essent turpitudinem, fugerent eò cautiùs
ipsi.

§. 3. Noster quoque Wallensteinius in-
signis venturæ ætati magister erit: ideoq; de-
cretum est sigillatim ac presse vitam, mores ac
gesta illius per omnia narrando confectari; di-
gnum me hercule memoria exemplum, &
quod documento sit posteris, Principum
ministris etsi diu multumq; ac præcla-
rè satis merentibus, fatalem esse unam
mutatæ fidei suspicionem. Solem ipsam
curiosus contueri non solemus, quàm cum de-
liquium patitur, cumq; quotidie splendore suo
in orbis nostri oculos incurrat, non tamen ha-
bent tot spectatores medio axe comantes ejus
radii, quot alliciunt defectiones ejus & tenebra-
rum insolentes fasciæ admiratores. Hinc fit
sæpenuerò ut quis cætera non contemnendus

miserrimus repente miserrimus censeatur, in
cujus virtutibus prævidendis homines cum tal-
pa sunt cæciores, ad æstimandum contra unum
fortuito intercurrentem nævum centum Argi
oculis instructi accedunt.

§. 4. Hæc igitur variantis Fortunæ pila,
(sic enim appellare placet) originem Regno Bo-
hemix debet, cujus motibus cum ille se non se-
mel opponeret initiò, proficere tamen inde
tantum non potuit, ut sciret se fluctibus suorum
affectuum objicere, quibus, quantum quidem
eventus consiliorum illius aperuit, animum in-
geniumq; suum ad alta tendentis supra status ac
fortis suæ conditionem tolli non obscure sensit.
Sed habet hoc ambitio illorum, qui ex humili in
altum surrexerunt penè omnium, ut quasi metu
transfixa timeat, ne è regno in servitutem, aut
à dignitate parta ad privatam recidat fortu-
nam, soletq; ejusmodi timor ab honorum in-
crementis vires ferè sumere, moresq; eorum
immutare, qui fortis suæ vices exhorrescere se-
mel inceperunt, neq; aliàs turbulentos ad ejus-
modi adminicula applicare, quibus sustentari
altitudinem suam posse habent persuasum.
[Quo hominum genere pestilentius Principum
securitati vix reperias. Unde non vanè mo-
neo, caveant sibi Reges à ministris talibus,
quos aut nimia auctoritati studere, aut diutur-

no ma-

no m
min
at q

quid
adeo
culo
enim
mun
re gl
nece
stè, r
aut à
BER
gere
conte
ager
passus
pertin
avena
bonit
torum
furiis
it, qua
stimar
Luna
quàm

no magnorum munerum auctu in curas regiminis & supremæ potestatis ambitum prurire atq; titillari sentiunt.]

§. 5. At magnum, nasci magnis. Nascenti quidem illi cœli facies nobiles dedit parentes, adeoq; congenitæ quasi gloriæ cupidinis igniculos impressit, & honorum semina. Certum enim est, splendorem natalium radios in animum immittere, spiritusq; generosos accendere gloriam majorum. Atq; ita dulcis quædam necessitas junioribus imponitur vivendi honestè, ne parum digni moribus avorum audiant, aut à virtute antiqua degeneres. Hinc & ALBERTUS ingentes statim animos gerere, fingere sibi grandes conatus, & nil nisi vastum contemplatione mentis informare, sed incultus ager & aratrum bonæ educationis nunquam passus, quia vigorem tempestivæ sementi impertiri non poterat, lolium ferebat, & sterilem avenarum silvam, qua mox obumbrata naturæ bonitas in durum & intractabile, ac quales brutorum impetus esse solent; subitis obnoxium furiis caput, quod frequens dies tandem docuit, quasi per gradus erupit. [*Unde soleo existimare illud nobilium Romanorum insigne Lunatos calceos nulli rectius aptari posse, quàm illi, quippe qui quasi terrestris luna quæ-*

A 4 dam

dam jam inde à puero mille vicibus variabat, nulla re quam eo, quod semper mutaret, constantior.]

§. 6. Pater ei erat HENRICUS WALSTEIN Eques non inter postremos, sed Protestantium partibus favens. Is curam filii commiserat verbi divini ministro cuidam gente Bohemo, à quo primis literis & studiorum rudimentis imbutus vel adolescentiæ usque annos fuit. Quos cum attigisset feliciter, Academicis studiis, disciplinisq; altioribus (*quas vocant*) ac artibus discendis destinatus, fastidio literarum, custodiæ arctioris impatientem & tantum non indocilem se ac studiorum hostem gessit, nisi quantum fervida indole, ac capacitate ingenii sui, ductuq; privato incitatus, cæterum nec monitoris nec quietis tolerans sponte sua tentabat; Atq; hanc morum asperitatem indies magis ac magis exferebat ætatis suæ studiis nec addictus nec amicus. Quâ re postremò magistri ipsius permoti, ne quid cæteræ juventuti exemplo noceret, domum ad Parentes ALBERTUM dimiserunt. Nunc si adultum maturæ illius ætatis diem expectaverimus, facile visurifumus, quantum imbrem tam nubila aurora præfagiat. Hæc enim ipsa tantum sunt prima rudis penicilli adumbratio, quibus suæ ætatis hominibus indomitæ juventutis imaginem quodammodo repræsentabat. §. 7. Igi-

§. 7. Igitur literariam umbram egressus inter Nobiles Marchionis Bergei Ferdinandi Archiducis filii pueros recipi meruit. Ubi cum aliquando in fenestra paulò altiùs à terra elevata obdormifceret, somno prægravante decidit, sine noxa tamen aut ulla læsione corporis. Eum casum ipse singulariter interpretatus est, & ex eo consilia de capeffenda Romana fide agitare cœpit. *Neq̄, id ineptè prorsus aut absurdè: observatum enim sæpe est, ejusmodi ingenia, quibus insolitus casus nocere non potuit, ad majora reservari. Quemadmodum Moses, Romulus, Abys, Pyrrhus, & plures alii ex aquis, à feris, ab hostibus servati, ac quod majus est, suscepti ac educi, suo id exemplo confirmarunt, ut in posterum doctrina ac Regula loco censerì possit, viris supra communem sortem extantibus, qui plura mirantur pericula, tanto propiorem illis cœli curam occasione, inter ancipitia per felices successus clarescendi suscitare. Neq̄, rarò factum est, ut unius infelicis casus acerbitas, gradus straverit ad majorem crebramq̄, fortunam. Hæc etenim erratica & volubilis dum propositum persequi inter initia negligit, ac mox ab ipso primordio finem exitumq̄, suspendit, ubi*

A 5

semel

semel arridet, terq; quaterq; intermiscens, tantum à se ipsa interim exorbitat, ut illius negotium feliciter terminet, cujus primis conatibus quasi conjuratos hostes omnia sidera infauſta allucere videbantur. Nec enim omnes lapsus Icarii sunt aut Phaëtontis similes. Sæpè & Antæus aliquis ab ipso Casu opes animumq; ducit, & quemadmodum pila vento turgescens allisa solo fortius resultat, sic multorum in adversis fortune gemino in contrarium nisu subvolat ad regna & imperia.]

§. 8. Sic & ille nobili isto famulatu non contentus, sed, ut erat novitatis subinde avidus, ingenio suo morem gerere, & germania relicta peregrinas terras visere, quodq; dominatricis fortune robur est, multorum mores eo habitus intueri linguasq; haurire diversas serio constituit & inchoavit protinus. [Non enim quidquam æquè acuit politaq; ingenia ac varia aliorum addiscere, procul à patriæ commodis vivere, remotum videre se auxiliis sui studii orbatum. His namq; difficultatibus comparari demum potest selida illa scientia, cujus progressum Lares paterni & natalis soli familiaritas, p̄ opinquorumq; ac agnatorum desidiosus congressus ferè impediunt. Quippe qui sic
vixit,

vivit, is & solum se sibi soli relictus aestimare, & mundi mores noscere, ac quæ alias temeraciter heret, inscitia togam exuere multarum magnarum rerum usu ad altissima quæq; instruere se, deniq; pontes attollere, portas dejicere, & tantum non æqualis astris ingredi, & mente cælos æquare potest. Plutarchus illustrium virorum libros pupillæ oculorum conferebat, quibus tanquam in speculo quis imaginem sui etsi contractiorem aliquam intueri queat, sed tum demum puta, si ad tantorum exemplorum instar, veluti ad Lapidem Lydium affricet seipsum, ut si quis stature suæ defectum discere cupiens lateri gigantis se adjungat. At miserabilis est illorum & vastus numerus, qui multi præterquam sibi ipsis magni videntur. Et talis persuasio habet se ad modum puncti, quod cum lineis aliis non conjungitur, nisi quis trahit. Sed cælum sæpe animum quoq; mutat & fortune mores. Neq; Columnæ illæ, quæ justæ magnitudinis arcus fulciunt, putrium prætextuum basinniti ferè solent.]

S. 9. Francia ergo & Anglia & Belgium quasi proscenia VALSTEINIANÆ volubilitatis fuerunt. Quibus cum non aliam requiem quam

quam perpetui itineris, nec constantiam aliam quam quæ in errando consisteret, nec certum firmumq; aliud inveniret, quam ut pro more, singulorum gentium habitum cultumq; corporis permutaret, & animi lancem in cujusq; nationis genium inclinaret, usus est illis vice campi, in quo generosæ mentis persuasionumque suarum celeritatem sine freno, libero cursu exerceret. Ita juventuti quo se confirmet, sustentaculum, ipsa est variatio. [*Naturâque ferè sic compbratum est, ut vigilem animi motum arguat, frequens mutatio non secus ac obscure desidiæ mater hebetudo esse solet. Quicquid autem igneum est, minus quiescit. Sic cœli motus inferiora hæc animat, & ventorum agitatio aërem everrit, & WALSTEINIUS frequenti vestitus permutatione propositum quoq; suum deponere sensim, crebraque ornandi corporis arte novos consiliorum modos excogitare addidicit, quibus toties iterumq; inversis, cumq; tot nationum indole subinde variatis cogitationum suarum vices moderari cœpit, donec experientia tam diversi cœli populorum in solido locaret, quicquid volubilis animus imaginabatur. Nescit judicare, rerum mundi inexpertus, neq; inve-*

nit

nit lucrum quisquis fugit periculum. Tunc autem errata sua quisq; recte advertere potest, cum quid sit errare didicit. Non enim alius penicillus est iste, qui naturæ æmulus admiraculum usq; artificium excolit, quam qui initio tot millium persuasionum ridiculas effigies incerto colore exarabat. Porro sicut veris tempus varium ac mutabile constantis autumnus præbet solatium, aut veluti terræ motus tranquillum mare promittunt navigantibus, ac gravida arbores decussis aliquot frondibus reliqua poma maturius ferunt, ita juvenem ætas incerto vagoq; appetitu fluctuans dum crassiores partes exhalat, quod solidum parumq; restat, mitius coquit, agitandoq; affectus suos tranquillat pedetentim, usq; dum frequens correctio (inter ipsam erraticæ mentis procellam) suavem prudentiæ fructum protrudat.]

§. 10. Venit itaque, vidit, lustravitq; multorum opida & terras animo potius quam corpore, & modò munitionum robur & propugnaculorum artificia, modò situs eorumq; indolem annotabat. Alibi ipsius gentis ingenia, artes moresq; admiratur multum in suos usus excerpebat è tot potentium Principium felicibus
impe-

imperiiis. Præ cæteris tamen ridere illa visa est cum amœnitate loci, qua hortum quasi Europæ referebat, tum potissimum humanitate incolarum, *Italia*. [*Est enim profecto Italia exterorum ingeniis fingendis animisq; ad virtutem varia doctrina excolendis adeo apta, ut vel hoc solo nomine inter Transalpinos quæqua versum prædicetur, vulgoq; inde apud eos persuasum sit, eum qui Italorum mores tractu temporis induisset, ubi ad suos reversus fuerit, singulis occasionibus intentum esse posse, simulare cum aulicis, referre elegantia equites Neapolitanos, prudentia vitæ civilis Genuenses, peritia rei familiaris Florentinos, sermone Etruscos, cautione Lombardos, Consilio Venetos, adeoq; accommodare sibi omnium dotes, dum singulos adiisset.*] Quæ arte & W ALLENSTEINIUS ex universis florem sibi commodi singulorum decerpserat, indeq; quasi regularum vitæ tabulam, prudentiæ civilis summarium, judiciiq; rerum multo usu edecumati medullam exemplo medicorum extraxerat, ut quemadmodum illi educere subtiliores è pretiosis spiritus igne solent, sic ipse melioris præstantiorisq; vitæ scientiam sibi compararet. Ac est me hercle miserabilis illorum stupor, qui in juventute adhuc, ætate mobili & peregrinationum

onum

onum avida, constitui humanarū actionum negotiorumq; civilium cognitione negligentia sua se defraudant, post ad senectæ annos provecti, qui quantò magis indigent quietis, tantò eam capiunt minus, adversus occulta insidiarum præcipitia incauti facillime aut in varias cupiditatum angustias decidunt expedientisq; difficultatibus, quarum exitum per focordiam reperire nequeunt, se torquent, aut in administranda familia, dum periculum ex aliis facere non didicerunt, perniciosis, qualia ferè senum propria sunt, præjudiciis damnum sibi afferunt ipsi.

§. II. Hic Albertus illas Europæ Athenas, Patavium in curriculi sui metam elegit sibi, ibidemq; quæ hæctenus tanquam aspera & parum utilia literarum studia averfari credebatur, longè alio oculo respexit, eaq; amare & colere in hoc literatorum librario rursus instituit. Tantum in animo etiam superbo & cætera contemptore doctorum virorum authoritas valet! Latet nimirum [*in imagine sapientiæ aliquid occultæ veneris, qua barbaris quoq; mentibus amorem instillat sui, & eruditio, quanquam horrida ac macilenta inter canas capitis nives appareat prima specie, tamen in ipso illo squalore ostendit ornatum virtutis; dum ex ingrati palloris cinere emicantibus gloriæ facem accendit, & circum tempora albieante canitie sua falcem* quâ

quâ publicorum edificiorum ruinae instauren-
tur, præfiguratur. Hic tandem nomen suum
 inter studiosos artium recenseri voluit. Neq;
 dubito, quin ille, quo excellebat ingenio, tam
 celebris loci famam plurimum fuisset aucturus,
 siquidem per reliqua juventutis solenne liber-
 tatis exercitium licuisset. Quam quia AL-
 BERTUS communem cum aliis pati non susti-
 neret, neq; illi adeo singulari, quæ in illo erat
 unius superbiæ sese astringere cogitarent fa-
 ctum est, ut ipse qui curriculum studii vix ince-
 perat, finiret. Adeo ille isthac ætate ingenium
 exercebat in eo, ut morem tantum sibi suæque
 indoli gereret, quæ erat, insanire cum ratione
 aut prudenter sine consilio vivere, & inter e-
 bullientes mille persuasionum undas studio-
 rum liberalium clavum excutere. [*Etenim*
non potest fieri, ut ordinatè se gerat, & com-
positè qui impatiens alieni obsequii suæ tan-
tum paret libidini. Et qui eo sunt ingenio;
toties suum excarnificant, quoties ad alterius
mores illud acclinant. Quare meritò bea-
 tum prædico seculum, quo innocentia sibi so-
 la theatrum non ab aliorum iudicio sed suo
 merito reportat applausum. Nihilominus tamen
 minus urbanae indolis nota est, & laus eleganti
 debita frangere nonnunquam cupidines suas,
 & ne

Et ne temerè offendat alium, recedere à proposito, præsertim si id citra noxam fieri queat. Absq; hoc, inestimabilis res, libertas est. Liber autem esse non potest, qui in conscientie suæ arbitrium alienam admittit censuram.]

§. 12. Nonnihil tamen hausit doctrinæ Mathematicæ, & Astrologiæ. Quibus prout eum libido invadebat, pascere ingenium, modò vallorum munimentorumq; aliorum situm per graduum scalas ac angulorum intervalla dimensus, modò ipsas Errantium stellarum domos, quas vocant vulgo, curiosissime perscrutatus. Inde Astrolabii ope fortunas suas ordinare tentabat, & circino complecti, tot sibi amicæ sortis risus, & ad felicitatis centrum ducentes semitas persuadens, quot vel hic linearum versus, vel isthic stellarum aspectus numerârat. Et, quæ proclivis est in sua ludibria. Multorum indoles, ubi ab his discesserat, jam rotam fortunæ cum sphaera simul volvere, jam cum poli statû animo juxtâ consistere, mox per numeros chaldaicos reprehensa horoscopi gratia polliceri sibi prosperos eventus, tum arrepto sceptro & diademate frontem sibi redimere, iterum ad intervallorum distantiam in globo, temporis spatia metiri, ordinare aliàs aciem, partiri cohortes, truncare arietes, quaterere vallâ, perforare latera & obductas propugnaculâ

B

corti-

cortinas disturbare, occupare robora locorum, ire per cuniculos per aggestas fossas earumque compendiosos ductus serpentis ritu irrepere. Deniq; delineare sibi jam ruentes muros, crepantes turres, decussas cristas, cadentes pinnas, solaq; mente quasi ante pedes videre obsessos, per tot viarum anfractus ac pericula ad deditio- nem redactos. Ita ille urbes & oppida vastare, hostes vincere, regna capere, & domi suæ sibi triumphos ducere. *Quid enim non molitur aut fingat sibi, qui coelum digito tangere, aut mundum pugno complecti, jocum esse credit?*

§. 13. Cum hoc animi tumore altorumq; consiliorum imagine, quam ipse sibi effigiaverat solus, in patriam reversus ad amores Nobilis Bohemæ viduæ è familia *Wickoviorum*, aniculæ quidem, sed dotatae miris artibus coepit se applicare. Nam etsi sciebat jam alteri altioris loci pactam illam esse, tamen astutia sua effecit, ut illo excluso ipse ea potiretur. Vixit autem cum illa improlis, neq; id sine periculo, quippe quæ in suspicionem Zelotypiæ affinem prolapsa incantamentis parum absuit, quin peremisset virum. Sed mors interveniens muliebri illum malo exemit. [*Et feminarum quidem vulgò forma quasi venefica est. Venusta, fascinat oculos, ingrata oppugnat ani-*

anim
trab
um

adv

sum

plan

legin

vice

quoa

nis,

berer

& la

tur.

quip

diffi

conco

dum

defe

ama

vult

Sim

ane

velin

puer

animum, *Vetula natura fugientem arte retrahit non fuco tantum & cerussa in subsidium, sed & carminibus & susurris magicis advocatis.*

Puella si sit & juvenis, volentem te absumit, effœta, invitum. Ridiculum igitur plane est, quod Indorum populo in more fuisse legimus, ut per sortem uxores permutatæ invicem ambulatoriæ fierent. Fiebat autem id, quod varietatem delectare crederent quotannis, utq; fortunatissimus illorum quoties haberetur, cui jactus obtulisset anum, qui cum & laboris dari, & negotii minus arbitrabantur. De quo ego in alia omnia potius eo, quippe qui plerumq; perturbatissimum tale difficillimumq; conjugium esse censeo, adeo ut conceptis quoq; votis putem Numen placandum esse, uti demens ac propitium à tali nos defendat uxore, quæ cum nulla sit parte sui amabilis, nihilo tamen secius & formosa vult videri, & in amorem attrahere aversos. Simili planè spectaculo ac sicubi Megaræ, Dianæ cultu, aut Furie Veneris ornatu prodire velint. Comunt se quoq; edentule, quando puerili ludo inter collapsarum senio genarum

fulcos alba ligustra interque rugas rosas seminare tentant. At veluti aurum, quod potabile Medicorum pueri dixere, vitalem spiritum excitat, sic rugosa aut senex non erit facile, quæ splendida dote claret, neq; cana, quæ argentum nive sua vincit, coma apparebit, cui accurata conspicienda flavum intuenti decus efformant. Hinc in amore imprudentibus conciliator oculus est, cautorum Medicus, manus. Nam quisquis amat, ingentem sportam rixarum circumfert, cuius onus perinde ei molestum videtur, prout auri dolisq; pondus ferenti incumbit. Dos autem non premit, sed levat portantem. Adeo omni ex parte magnum femine, qualiscunq; tandem sit, dum modo opulenta, lucrum est.]

§. 14. Ita ille sanitati pristinae redonatus aucta ex defunctæ opibus, re sua aliàs non admodum lauta, & latere nescius nihilque minùs quam otium amans, suo ære militem scribit, equo merentem, eumq; *Ferdinando Archiduci*, in gratiam Imperatoris, quam effudisse nescio, qua sua culpa ferebatur, neq; illum tantum sed & seipsum vitamq; ac fortunam suam omnem obtulit, atq; addixit. Quod non vulgare magnæ spei omen erat. *Raræ enim virtutis signum est, non operiri, sed occupare occasiones gloriæ,*

gloriæ. Igitur Alberto frequentibus præliis
 spectata fortitudine adductus, Cæsar in Barona-
 tus gradum illum evexit. Quæ res amplissi-
 ma fama virum mox ita auxit maectavitque, ut
 hanc ejus æstimationem victura apud pōsteros
 laude chartis ac literarum monumentis proti-
 nus consignaret; satisq; visum fuit, ad auctori-
 tatem tanti militis conferre momenti, placuisse
 Impetatori. [*Semperq; nobilis & generose*
mentis indicium fuit, armis delectari. Sunt
enim illa immortalitatem spirantes aure.
Et bonorum quasi quoddam Capitolium, militia
fere est. Neq; quicquam excelsas indoles equè
juvat, ac lacertos suos bello exerere & Mar-
tiam illam silvam forti ictu cadere, ut rese-
ctis hinc inde victoriarum frondibus comam
sibi postremo coronent. Nam qui sudorem
cum bellicoso sanguine miscet, is per vastum
honoris æquor cymbam dirigit ad portum eter-
nitatis.]

§. 15. Atq; in hisce Imperii sui primor-
 diis dum tot millibus volaticarum cogitatio-
 num liberum cursum indulsit, sæpenumero à
 consensu genii quem *συμπάθεια* Græci appel-
 lant, solenne illud imaginosi cerebri præmium
 reportavit. *Nam cum fortuna nihil sit ali-*

ud, quam occursum quidam fauentis occasio-
nis, adeo ille propitium hoc fatum habuit, ut
que in eo erat insolens rei semel electa perti-
nacia omnium illi conciliaret gratiam. Unde
ipse tales suos extraordinarios insolentesque
actus ex aliorum iudicio interpretabatur, cœ-
tos eventus in occasionem promptissimorum de
futuris consiliorum rapiens, odia in favorem,
errores in prudentiam. [Nempe supremus
ille fortunæ tenor est, à sorte ad successus de-
stinari prosperos. Talem omne malignum,
sidus placido lumine aspicit, huic quod aliis
calamitas dicitur, lucrum est, quod aliorum
kursui tragulam injicit, illi gradum sternit ad
altiora. Et inter sevientis tempestatis ven-
tos securè navigabit, sudo in turbine cœlo sa-
nus inter vulnera, & tantum non cum ipsa
morte de vita pactus, haud secus, ac olim
Prometheus cum inimico in Thessalia ferro, ac
deniq; ab ipsis humanis æmuli fatalibus insidiis
Mardochei instar, elatus gloriari cum illo po-
terit, qui ex adversis semper celsius emergens,
periissemus, ajebat, nisi periissemus.

Sic & consiliorum ejus vela applaudentium
 venti implebant, ipseq; inter tot diversarum
 occupationum fluctus liberalitatis suæ navem
 feliciter dirigens, militum animos cum suo

conne-

connectebat, efficiebatq; ut fida explorantium voluntas dulci beneficiorum hamo capta cum præda avaritiam fatiante redux ancoram postremo firmaret in portu splendoris. Nescit enim belli artes, qui parcus, ubi vitam projicere, ac pecuniam profundere, perinde censentur. Et quod semel lucri studiis fervire pectus cœpit, rebus generosis tractandis adeo non est aptum, ut ne vulgare quidem aliquid audeat & abjectum. [*Ita Princeps ut subditorum paci consulat, ærarium impendit & exhaurit, & ministrorum in rempublicam fidei non private eorum ambitionis commodo salaria dividit. Absurdum quippe foret ad opprimendam civium libertatem conferre, quod rei-publicæ saluti tuendæ à majoribus fuit constitutum. Illas autem opes demum benè collocamus, quas amicis dedimus. Gemma quæ fortuna Ducis coruscat, maxime amor militum est. Et illud demum vitæ tempus recte transigitur, quod majorum usibus inservit. Nam vel qui defendit dominos habet quod expectet à servis, qui defendit magnos inferiorum obsequii circulos ducit æquales.*]

§. 16. Si quem videbat gloriosum aliquid conari, laudibus illi occurrebat, neq; infra dignitatem suam esse ducebat, calcas eidem

palpo subdere vel humero vel vertice levius
 coram, cœtera commilitonum turba procla-
 mare; *Istius irruptionis tu quidem dux ac ani-
 ma eras. Eventum victoriæ iste explorabit,
 hoc vero facinus tibi acceptum ferimus. Ite
 viri estis, & pergite.* Ab his moribus quan-
 quam in altissimo versaretur, nunquam recede-
 bat, quin potius, quo ascendebat celsius, eò in-
 ferius se ad militem in fortiora acuendum de-
 mittebat, quoties occasio ferret. Quo factò
 mirum quantum animos militares expugnaret.
 Ita supremo Ungarorum, Croatarum tribuno
 Isolano post felicem cum Suecorum equitum
 manipulo congressum Anspacensem Marchio-
 ni Granensi Pragam intercipienti, Domino de
 Dona dum Chemnitium oppidum recuperaret,
 & Richardo Avogadro post pugnam Lutzen-
 sem, aliisq; longe pluribus applausit, quorum
 fortitudinem tempestivam sine proluxa benevo-
 lentia laudumq; contestatione publicè quasi in-
 ter Heroum facta recensebat, haud ignarus,
 [*nobiles animos laude fascinari, & fortia
 pectora titulis non secus ac tuba accendi.*
*Nam etsi virtus sibi ipsi theatrum est, sine ap-
 plausu tamen, quem semper meretur, concit-
 dit & languescit.* Et præterea quam impar-
 nimis illa permutatio, miles, qui vite rei ca-
 rissimæ prodigus est, & tribunus, verborum,
 quæ

que facile parantur, tenax!] Quapropter Albertus quemadmodum cordis ac linguæ portitas commilitonum usibus pandebat, sic & mensa sua vel tribunos cæteros vel centurionum neminem arcebat; sæpe gaudere visus, quoties cum illis cibum caperet, qui cum ipso antea periculum degustarant, laxamenti loco etiam hoc indulgens, ut aridum pulvere guttur & quicum generosum miscuissent sudorem, largiori haustu proluerent. Auditaq; non semel hæc ejus vox plane memorabilis, *sacrificia vini sanctissimum vinculum amoris, eosq; demum nobiles haustus esse, quibus mutuam studium imbibant potatores; & contubernia ad salinum facta, retia esse quibus prædarum communicatio concludatur, neq; firmitus sanciri fœdera amicitia quam inter convictores, hoc enim mutuas voluntates juxta cum cibo, capere.*

§. 17. In stationibus militum res necessarias ita prospiciebat, ut ne puncta quidem oportuni temporis negligeret. Et quanquam sæpe totam multitudinem secus sentire intelligeret, ipse tamen curæ intentus & necessitati, non patiebatur officium suum molestiâ vinci; exemplum quasi terrarum orbi relicturus perfecti Imperatoris, cujus partes sunt, non tantum adversus hostium insidias cautum esse, sed & opportunis rerum occasionumq; articulis providere. Nam qui regalem scipionem gestat,

ita flectere eum meminerit, ut ubiq; Ægypti-
um illum imitetur, in cuius apice oculus vigi-
labat. Et imperantis animus stellarum natu-
ram æmulari debet, quæ dormiente hominum
genere sole occaso pro salute orbis nostri vigi-
lum more excubant.

§. 18. Bello Archiducis confecto in Ger-
maniam regressus à Cæsare militiae Moraviae
supremi tribuni loco præfectus est. Eam pro-
vinciam sub id tempus in fide nutantem, & in re-
bellium Bojorum partes propendentem ad ob-
sequium Cæsaris reducere tentavit. Spe au-
tem propositoq; suo falsus magna auri vi secum
portata, de publico ad Dominum suum disces-
sit, qui cum ita de argento convenit illi, ut
summam totam restitueret. Creditur tamen
XII clo unciales summa astutia reservados usi-
bus suis mox destinasse. Quippe qui paulo
post mille eandem cataphractis Wallonum è
gente equitibus Cæsari legendis Bohemorum
adhuc motibus irretito, [*nota fidelis civis, ge-
nerosi pectoris, & cauti Ducis signatam im-
pendit. Aurum enim prudentis in manu
radios evibrat in splendorem, in cuius luce
actiones ejus ad auctoritatis viam grassantes
fausto pede incedunt. Et pecuniam in loco
negligere satius est, quam otiosam servare
sine fructu. Neq; unquam facile gloriosius
profuit*

profundi opes possunt, quam cum Principum
 commodis consecrantur. Quamobrem qui
 civium suorum divitiis invident Domini,
 solitudine fidelitatis gaudere videntur. Cum
 enim illa sine nummis talenta sua exercere
 non possit, mucescit, & si non deficit planè,
 iners fit ad minimum. Subditorum verò
 amor quem à civibus ipsa ratio requirit, opere
 exseritur. Quid autem magni expectabit
 ab eo Princeps, qui ex compacto premitur
 mergiturq;? Quanto utilius erat libera spa-
 tia fidei illius indulgere, à quo fidem in tem-
 pore exposcis. Vanus namq; metus Princi-
 pum eorum est, qui nimias suorum opes, fo-
 mitem superbiae esse credunt, quo in perni-
 ciosa Domino consilia cives efferantur, praefer-
 tim si illi ipsi cogitent potius, attritas res po-
 puli multo fortiùs tribunitios spiritus ad de-
 speratos rebellionũ motus exsuscitare. Etenim
 solent, qui exitum miseris alium reperire ne-
 queunt, quærere eundem in contemptu vite,
 quia felix imperium dives tantò attollit al-
 tiùs, quanto diriùs pauper inter miseria ge-
 mitus fatum cunarum suarum execratur.
 Si quos tamen sefforis impatientes Princeps
 ac cal-

ac calcitriones esse senserit, quin durius parcusque eos habere solito queat, dubium non est, dummodo rerum omnium optimos modi fines non excedat rigor. Nam si omne nimium, vitium fit, inutilius longè id erit, quod quia parcum nimis est, subleuat nullum: Igitur qui largitur nihil, idem ab aliis quoque expectet nihil: Adeo quo plus nummorum arca possidet, civium eò locupletius ærarium credat sibi turgere Princeps. Neque aliter hoc in bello obtinet, ubi numerus militum anima est exercitus. Miles autem qui Zonam gestat turgidam, magnetem affert promptæ manus. Nam illa dextra demum fortiter ensẽ rotat, cujus aliàs armis sventæ venas auri pulsus vegetat, optatque mucronem hostili sanguine saturare tunc maximè, cum spes prædæ affulget, unde inaurari postea capulus & postibus figi post bellum queat, & virtutis suæ testis & trophæum toge suspendi. Inde telum illud vulgo faustissimum est, quod hostem fulminis ritu sternit, & capsas ac scrinia clave reserat felicius. Equidem à prælio, jacent per campos cadaverum exuvia, at à prædæ lucris familia animam imposteriorum diu trahit.]

§. 19. Anno MDC XVIII. Bohemi in-
perduellionem prouisi novas res Duce W A L-
S T E I N I O moliri optabant, sperantes eum ut
popularem & quidem inter Proceres regni sui
non postremum, consiliis parum pacatis fau-
torem fore. Erant autem immodica isthic o-
mnia, consilia in futurum longè porrecta, æstus
fortunæ reciproci ac varii, socii magno nume-
ro, fines verò, utcunq; cadant, vigentem secum
rerum mutationem trahentes. Igitur parem
institiis Ducem quærentes, in Albertum suffragia
conferebant, Principem illum & summum re-
rum omnium moderatorem votis suis desi-
gnantes. Et quanquam parem affectum ab il-
lo certo expectarent, quod pro patriæ salute
omnia licere civibus persuasum haberent sibi,
nihilq; deesse videretur, quàm ut ipse respon-
deret spei, quàm fallere fortè non potuisset,
quippe qui cum sua defectione totam imperii
molem inclinare Cæsaremq; solum & vinci fa-
cilem relinquere credebatur, tanquam cuius
vexilla Albertum secutura fortunam quoq; &
auspicia mutatura essent; tamen ille in Domini
fide persistere, Pragam iussus ire, & cœptas
conjuraciones disuadere, verbisq; se & factis
gliscenti turbæ opponere elegit magis. Sed
malum altius jam tum creverat, quam ut curam
ac remedia admitteret. Ideoq; successus illo-
rum conatuum tunc quidem irritus fuit. Nam
nec

nec furor iste frenum nec tempestas, tranquillitatem ferre posse videbatur. Satis interim se fecisse existimabat pro gloria, quod rei suæ naufragium passus idcirco fuisset. Bohemi enim quicquid substantiæ illius supererat, tanquam hostis patriæ bona fisco publica proscriptione addixerant. At ille non poterat gloriosius ire in exilium, quam dum Principi suo mereret, nec gratiâ ejusdem validius florere, quam ipsius causa extorris, procul dubio immortalis laudis titulo futurus insignis, siquidem illam viam institisset perpetuò. Nunc autem postremo sui dissimilis ista vice tantum fidem suam commendavit, patriæ ejusque seditiosis motibus ob id potissimum infestus, ne justæ Domini sui causæ deesse cogeretur. Et ipse tunc temporis Imperator officium istud prædicare solitus est, quanquam contrario longè eventu. [Certè victima quæ superis mactari potest gratisima, animus est, & egregia voluntas sæpè magnis meritis par est, tunc autem præcipuè cum nusquam vacillans alterius ope declaratur.]

§. 20. Post id Anno MDCXXI cum XV equitum vexillis per sex millia Hungarorum perripit, & felici planè cursu Moraviam adiit. Quâ re tantum virtuti suæ decus addidit ac robur, ut nomen suum quod invidiæ retibus constructum

strictum
ac u
cul
vide
foc
des
linu
gò f
liq
inge
sunt
qua
plau
plun
titud
fente
exfer
cus,
pi n
lente
conf
Caro
Prin
facile
cum
Ferd
ab ip

strictum hætenus fuerat, majore vi explicaret, ac ubiq; apud omnes magnum redderet & inculpatum. [*Scilicet virtutis ea vis est, ut invidentium malignam ambitionem facile suffocet. Neq; maledicæ linguæ fulmen frondes illas tangere audeat, quas Jupiter Capitolinus jam sibi sacras fovet. Et heroica vulgò facta subicere se in tantum solent, ut obliqui oculi aciem longè excedant. Nam qui ingenio sunt cavillatore præditi, timidi ferè sunt, neque inquinare se fœdius possunt, quam contemptu laudum, quæ quot excipitur plausibus, tot illi devoventur diris.*] Exemplum futuris seculis Albertus dedit, cujus fortitudo incantantium ritu, qui procul etiam absentes domant, vires suas solemnes confestim exseruit. Albertus enim partum semel decus, quod publicatis in Bohemia bonis, Principi nihilominus fidem servanti adversus insolentem Transilvanorum audaciam prosperi conflictus auxerant, strenuè persecutus, & à Carolo Lichtensteinio, Pragæ sub id tempus Principe vicario Livore, an alio prætextu, haud facile, dixerim Viennam citatus comparuit, secumq; LXM uncialibus transportatis, authore Ferdinando Nogarosæ Comite, qui proximum ab ipso Tribuni locum tenebat, viro spectatæ militiæ

militiæ non tantum attractos calumniæ obices disjecit, sed &, quæ prudenter uti sciebat, numerorum clave Procerum Cæsareorum gratiam ita referavit, ut pacto cum singularis modestiæ & celebris pudicitiae virgine Caroli de Arrach filia matrimonio primum in soceri inter Ferdinandi Consiliarios Principis, & in animo Cæsaris validi, mox in ipsius Imperii amicitiam reciperetur. Ita crescentis indies magnitudinis ac fortunæ portis reclusis, & argento miris artibus congesto urgenti Cæsaris necessitati succurrens, ad bis mille cataphractorum peditum præfecturam evectus, proximum à supremo militiæ Duce gradum occupavit, (*Generalis Major*) [*Sic saepe fortunam foemina est, quæ soluta coma scansurum elevat. Equidem cecidisse non raro nec pauci leguntur, at quot muliebri manu erexerunt se contra? At quamquam vulgo naturæ sexus sui plerorumq; ingenium ventorum ludibrio in quodvis momentum versatili, respondeat palla, tamen circulatorum orbi perficiendo, ita se aptant ferè, ut dum ad ipsius fortunæ instar mutabiles congenitæ indoli indulgent, rebusq; turbulentis sese admiscent, eum nonnunquam felicem juxta ac ditem efficiant, qui virtutis propriæ egens nimium quantum extiterat ante. Non forent*

fore
nisi
sim
bi
secu
neg
enir
ria
ta,
lan
hac
sole
den
om
qu
qu
ben
nisi
dia
tia
mi
tra
am
im
inc

forent autem fœminæ, id est sexus seqvioris nisi nutarent ingenio. At id me hercule pessimum est, videre Viros Numina & Divas sibi statuentes, quarum vestigia religiosè non secus premant, ac ursi mella venantes, etsi non negarim, lucri studium prævalere. Non enim Divis istis, quæ semel aras & pulvinaria superstitione designavit, aliter dicuntur vœta, quàm ut figura Numinis colendi, ipsæ colant venerantem. Id verò iocularè planè est hac in arena spectaculum; non minus hic obsoletam ac deformem suam invenire Adonidem, quam olim Venus reperisse fertur. Sed omnia reperit, qui cum dote ampla fortunam quoq; talem lucratur. Nam & pilula, quamquam acerba, dummodo auro fucata, absorbentur tamen. Neq; deformis femina ulla, nisi quæ indotata est. Et ubi auri fulgor radiat, itidem amabiles Cynthiæ deliciae, & Gratiarum lepores renident.]

§. 21. Hac igitur in dignitate tota Bohemici belli tempestate constitutus, nunquam à tramite virtutis recessisse visus est. Sed interim ambitione sua, vitio propè connato, subinde impulsus, quia Cæsarem ad pacis consilia facile inclinantem exauctoraturum prævidebat mo-

C

tuum,

tuum Imperii finem non adeo propinquum ex
 astris ominatus, cæterùm fortunæ suæ amplifi-
 candæ cupidissimus, familiarium, sociorumq;
 animos ita semper detinebat, ut quoties occa-
 sio posceret scribendi militis curam operamque
 ipsi non denegarent. Qua alacritate illorum,
 tutius animadversa Ferdinando Imp. sese suo
 sumptu eum XLM. militum manu, munus me-
 hercule haud vulgare, sistere constituit, quan-
 quam non deessent, qui, quoniam inexpecta-
 tum erat, suprâ verum auctum rumorem my-
 sterio non carere, interpretarentur. Quam-
 obrem à Cæsare actis clementer gratiis recusa-
 tus, Hispanis contra occasio de rebus Regis sui
 benè merendi occasio non spernenda visus fuit.
 Quod & eventus confirmavit. Interim calle-
 bat legendi milites studium, & turbæ subinde
 aliæ atq; aliæ ingruiebant. Quare non tantum
 opus WALSTEINIO, sed & necessum erat,
 Ducem illum supremum exercitui, dimisso
 Marchione de Monte nigro, præficere, atq; ita
 promptitudinem illius illustri beneficio repen-
 sare. [*Fortunam suam negligit, qui ingeni-
 um casibus non offert, nec ditescit facile, qui
 pericula timet, equevidem conservandis rebus
 sufficere nonnunquam obtusi & tardi possunt,
 augendis verò attollendisq; iis non nisi alacres
 & vividi animi sunt pares, Aqua nî move-
 antur,*

antu
 camp
 & s
 sulph
 nus j
 occas
 tiis l
 dunt
 calor
 tuna
 vent
 attin
 in qu
 conte

tu era
 tribu
 ctus,
 ret ac
 are co
 muta
 denti
 am, s
 qui ju
 ta, qu
 videb

antur, capiunt vitium, libero autem alveo per campos & rura ludentes naturam conservant, & sitim haurientibus jucundo frigore levant, sulphureæ mentes, quarum mentionem Plotinus facit natura sua indolem ad minimam occasionis scintillam accedunt, nec tantum initiis lucem aut primo incendio flammam dividunt, sed & incrementis temporum constanti calore affundunt robur. Et tales plerumq; fortuna juvat. Non enim desunt sibi ipsæ, sed vela ventis obvertere peritæ consilii portum feliciter attingunt. Soli desidiæ ac otio umbra convenit, in qua cum animo tum corpore non minus ad contemplationē artis alicujus subsistunt pigri.]

§. 22. Sic ille è privato, nobilis enim ortu erat (quod supra notavimus) Princeps, & è tribuno supremus copiarum Dux Imperator factus, satis ostendit, quid quantumq; studiis ferret acceptum, utpote quibus non tam sua variare consilia, quam commutare fortunam, nec mutabilitate crescentis stultitiæ gradus, sed prudentiæ vires prodere, neq; decoquere sapientiam, sed lucrari didicisset. [Facile ergo errat, qui judicat ex initiis. Nam illa cerebri figmenta, quæ judicium erraticæ mentis facere vulgò videbantur, fortunas ejus solidarunt, usque dum

dum ultra conditionis metas illum promove-
 rent. Non una via scilicet ad honorem itur,
 quarum sæpe tutissima illæ sunt, quas aliorum
 opinio iudicat fore periculosas. Hoc ergo Im-
 perium militare cautione singulari gessit, cæ-
 ptumq; fortitudinis curriculum pari fine ter-
 minavit.] Et primam ibidem gloriæ occasio-
 nem, qua eorum iudicio, qui Imperatorem
 ipsum designandum censuerant, fidem faciebat,
 felix conflictus prope pontem Deslaviæ cum
 Ernesto Mansfeldiæ Comite dedit, quam rupto
 ponte profligavit. Deinde facti in Moravia
 egregii progressus, & missa Novogrado à Tur-
 cis oppugnato. Subsidia, specimina fuere vir-
 tutis non degeneris valde luculenta. Quorum
 laudes in aula Ferdinandi focer & Princeps Eg-
 genbergius, uterque tutelare fortunæ illius Nu-
 men, ad quodvis ejus successuum momentum
 ita temperabant, ut felices extollerent, adver-
 sorum famæ in tempore occurrerent. [*Alioqui
 summa felicitas Ducis est, cui oportuni tempo-
 rum articuli explicandæ virtuti, ac prudentiæ
 offeruntur. At hoc beneficium longè majus
 est, quoties generosa exempla æmulorum obli-
 viis tanquam sepulcris suis erepta, in illustre
 nomen abeunt, & aularum, unde decens præ-
 mium expectent, commendationem.* Fomes
 cujus

cujus flammam concipiat fama aptissimus, opinio est. Animus autem semel expugnatus difficulter alienatur. Et bonæ existimationis aura salubrior est quacumque alia, quæ ex diversis tantum actibus hauriri solent. Nam quemadmodum unum fortè facinus uni se commendat, sic omnia excusant se illi, quem virtutis opinio occupavit semel.]

§. 23. Sed ALBERTI cum fortuna mores & cum dignitate vita mutaverunt, quippe qui se longe nunc alium ab eo gerebat, qui in privatae fortis campo appulerat. [Sic sol ipse quoties gradum cœlesti stadio protollit, mutat lumen jam radians jam lucidus solum. Et oculo domi imago aut statua exposita formosius apparebit, si concordia ab aspectu spatium subortæ artis suæ miraculum præbeat eminus. Bucephalum illum famosum Macedonis equum gregarius miles ascendere nudum poterat, regio autem apparatu phaleratus non nisi Alexandrum admittebat, ac veluti privatum superbia arguit, herois instar præferre, ita humilis animi nota est, nescire cum dignitatis gradu vitæ attollere tenorem. Etenim vix meretur honorem, qui tueri collatum non dicit. Quantò prudentius factum Caesaris

illud est, qui cum familiaribus privatim æquavaliter conversatus, mox ne quid decoro sue majestatis decederet, composito in severum vultu, desinamus, ait, Cæsar adest.]

§. 24. Proinde novus Imperator militem diversis præceptis instruere, exercitum in novos ordines disponere, inusitata hætenus munia designare, tympana aliis modis pulsare, planeq; diversas leges præscribere, imprimis insolito rigore severam strictamq; disciplinam exercere cœpit; orbem terrarum non secus reformare minatus, ac fortunam suam diffinxisset antè, idq; tanta ubiq; constantia, ut intactum nec consuetudinis nec præcepti genus relinqueret, quod aut non abrogaret prorsus, aut recqueret certè, affirmare solitus, [*imitationem puerorum in ludos euntium opus esse, & vulgarem Imperii successorum normam, conspiciendum esse tantum mediocris aciei: Nempe heroicæ indoles ad aliorum vestigia raro descendunt. Vulgaria autem vulgares decent. Quodq; altiores ornat, singulare non alitur rectius, quàm rariori cibo. Quoties militem tegebat duplo ferè studebat æmulum numerum vincere, nec operæ nec sumptibus parcens. Unde vulgo WALLENSTEINI-ANÆ regula nomine claruit, aliorum copias & numero*

num
pe c
ani
Scep
sem
rum
est.
vita
mic
nim
ti b
cert
jud
Qv
Qv
qve
pul
flet
riis
pro
res
rev
mu
ba
sol
ver

numero & pretio superare. Rectissime quippe collocatur nummus, qui virorum fortium animos astringit. Et Principes tum de mum Sceptra regaliter gestant, cum miles eorum enses animosè stringit. Fulcrum maximarum coronarum, fortissimorum Ducum agmen est. Instruere autem militiam est asserere civitatem, & provida armorum cura, spei inimicorum mors est, haud aliter ac majestatis anima robustus est exercitus. Nam qui fronti hostium equo numero occurrunt victorie incerti, ruunt in Fortune ulnas.] Neque enim judicio rerum usu firmato dignum est arbitrari: Quo major sit exercitus, eo difficilius regi. Quia cum vastæ copiae sint dominæ campi, quem pererrare liberè & sparsis passim manipulis quasi in partes dividere queant, quid obstet, quo minus & commodè exigendis necessariis, & ad exercitum alendum idoneis rebus per provinciam congerendis dimittantur! Denique res novæ novitate egent, estque omnino singulare viri exemplum illud, si quis contemptus animum inde abjiciat, unde sumere illam oportebat potius.

§. 25. Si quem commendaret, paucis absoluebat, haud ignarus profundæ mentis filiam verborum esse parsimoniam, & Magnatum

esse breviter dicere. Cui illius consuetudini miles ita suetus erat, ut etiam tacenti cœterum manu tantum annuente Comitis Bertoldi WALSTEINI nepotis cohors, dum Praga obsidebatur, in latere eius, quâ mons Laurentii prominere oppugnando succurrere sciret, neq; id feliciter. Nam & erepta hostibus civitas & restituta Domino affultu isto fuit. [*Fuere olim Duces, quibus ab affectata nimis dicendi brevitate cognomen hausit monosyllabi. Vulgò tamen qui imperat differere non debet. Et qui mandat, nutu præcipit, non disceptat. Nec enim auctoritas laciniis eloquentiæ semper eget, satisq; persuadet bene, qui non intelligentem satis, quo admoneat, habet. Ac fieri sæpe numero solet, ut obsequium quod adversus disciplinæ rigorem calcitrarat pridem, post cæterorum vincat modestiam.*]

§. 26 In negotiis gerendis celeritatem apprime amabat. Eaque potissimum post cladem Lipsiensem copiis in colligendis, iterumq; memorabili Lutzam prope ad jungendas secum Papenheimii vires conflictu usus, solertiam, animam successuum esse, ostendit. [*Nimirum sunt negotia, quæ ut testudineos gradus pedesq; requirunt plumbeos, sic contra alia corvorum curricula & alas aquilarum exposcunt, reli-*

qua

qua, quorum pars maxima est, consilium amant, plura, quae ibi confeceris utilitatem ferunt, dilabi consultando solent, saepeque praeter opinionem accidit, quod rebus diligenter excussis evenire posse nunquam credidisses. Alias dimidium facti habet, qui bene deliberrat. Nam quemadmodum olim è cerebro Jovis Minerva, sic ex ingenio hominum prodeunt praeclarè facta. Sic velut aquarum fistulis prunas animat faber, ita ignearum mentium velocitas impellitur quodam maturi consilii frigore admixta. Via tuta ac plana facile iter cursoribus praestat: Et negotia quavis mente suscipi quidem possunt, dummodò quis finis sit futurus usus, prospectum sit initio.]

§. 27. Erga milites varius fuit. Quibusdam videbatur ad exemplum Annibalis ac Scipionis se componere, dum & severè castigaret, & donaret magnificè; saepius tamen supra meritum mediocrem ornabat, ut ad majora surgentem excitaret. Errores leves acerbiùs castigabat, ut à gravioribus deterreret, ubique insolitis utens, ut consuetis malis incuteret timorem. Ut cum minora meritos insigniter pleteret, aut majora condonaret, ne atrox videretur,

rerur, malebat enim laudem clementiæ quam famam severitatis. Atq; ut summatim dicam, quicquid agebat ingenio suo dabat, ideoq; miles insolentis ejus naturæ non ignarus formidine pœnæ delicta oderat. Adeo majoribus abstinet, qui levia puniri videt. Plures quippe metu, quam ira fulminis cruciantur. Ipse autem igneus & excitatus, rerumq; adversarum impatiens quocunq; casu spei aut ingenio suo contrario commoveri ad iram poterat. Aliquando urgente malo cum ipsius somnum cubiculi minister interturbaret, quod morem Domini parum attendisset, colapho illum objurgavit. Tabellariorum aliquis puncto temporis non comparens, jussu ejus duriter tractatus; Eqves thorace nudus in publico deprehensus coram legione convitium passus; alius ferro provocatus, congressum metuens ignominiosa missione notatus fuit. [*Ex legis præscripto qui vivit, dum observat illum, Principi facit satis, at cui legis vice durum ac intractabile caput præest, quomodo se geret? Adeo infelix est, cui cætera modeste timor errandi incubat. Fit enim ut cui cum tali morositate res est, virtus vitio, à vitium laudi vertatur. Id autem non est imperio præesse, sed damno publico portas pandere. Nam qui eo ingenio ad clavum accedit,*

dit,

dit
jub
pr
run
bro
obs
re
rat
spic
bus
ten
dix
nov
fer
tiur
cle
am
ster
nor
unc
Alc
mi
run
pra
ce
ter
eju

dit, non tam præceptis, quàm sibi morem geri jubet. Sed ejusmodi facta raro culpantur, præsertim quia cælum ipsum insolita prodigiorum pompa nonnunquam degenerat. At crebrousu frequentare talia quid est aliud, quàm obstinata malitiæ callum ducere?]

§. 28. Centurio Burgundus, quo tempore proficiscenti WALSTEINIO à satellitio erat, fustigari jussus, cum injuriam officio conspicuus indignum reputaret pati, eqvo calcari- bus admisso necem expeditis armis ictum intentanti cuicunq; comminatus, mori se malle dixit, quàm infamem vitam ducere. Qua rei novitate attracti reliqui Comites maectaturi miserum erant, nisi WALSTEINIUS nutu silentium imperans tam generoso pectori heroica clementia parcendum esse declarasset. Sed & amplius audaciam istam militaribus jussis resistendi, conatum magnæ indolis interpretatus non tantum pœnæ gratiam ei fecit, sed & M. M. uncialium dono insuper ornare non dubitavit. Alterum qui præsentem Duce hospiti suo sustem- minanti gladium objecerat magni animi virum, & si in hostem tale quid auderet, præmio prædicabat dignum. Rursus alium, qui & voce & chartis famam ejus demorderat, humani- ter excepit, muneribus quoq; maledicentiam ejus profecutus, ut convitii puderet, qui libera- litate

litate victum se agnovisset. [*Excelsæ videlicet mentes, non nisi altis gaudent, vindictam adversus inferiores exercere non amant. Nam cum munificentia ruborem exprimant malignis, ulcisci injurias suas acrius non posse arbitrantur, quam si condonent. Quas qui ab infirmis ortas obliviscitur, eo majoris animi dat signum, quo minus ipsorum delicta aestimare cupit. Quæ si ulcisci velit, agnoscere videatur. Sæpè qui suo merito clarescere nequit, pugno aut verberare illustri crescit. Dextra namq; Heroum hoc habent, ut & percutiendo decorent, neq; Leo nobilem iram in subjectas & minores feras effundit, sed aut parem optat hostem aut certè non imbecillum. Et Princeps, qui injuriam privatorum ignoscere sustinet, humili vitio lucrum adjicit honoris. Non enim agnosceret nisi aestimaret. Tunc autem rectè aestimantur, cum converti in instrumenta exercendæ generositatis ac magnificentia condonata malitia digni censentur. Ex quo fortuna illorum ita augetur, ut sentiant idoneum aliquid inesse fecibus suis, quibus fastigium Principis extolli potuerit. Quippe qui hoc uno crescere solent, si altiores injuria se ostendant.] §. 29. Ad*

§. 29. Ad hunc modum Albertus fortuna magistra quæ pruritu diversi palati cibum variare, mensamque cui unæ tantum dapes in promptu vertere, sunt, plerumque; amat, mores quoque; versabat suos cum voluntate, severus hodie, cras mansuetior, hinc magnificus, ibi urbanior paulò, modò hac modò illa facie temporis rerumque; occursum intuens. Populo Mechelburgensi & vicinis civitatibus liberis, ut plurimum irritabilem se exhibuit, Danis contra & Saxonibus perpetuo ferè effabilem ac comem. Saxonem Principem Electorem blandè, Suedos & eorum Regem cum supercilio & contemptu tractabat. Nonnullis quasi in certamine amoris pacem ad nutum indulgebat, aliorum iteratis precibus repulsam dabat. In Holsatia opida & castella, etsi parum munita honestis conditionibus recipiebat, Stralesfundam contra situ & opere Baltici maris opidum inexpugnabile deditioem solenniter pacturam, toties indignè rejectam ad desperationem adigebat. Crescentibus enim ex periculo animis vitam necessitate defensura Suecorum auxilia impioravit, decusque; ac virtutem incredibili constantia contra ferocem adeo hostem asseruit. Cum Tillio sic vivebat, ut quoties placidum ac flexilem videret, ipse pertinax, ubi ille austerus, ipse plus solito humanus appareret. Ac quanquam aliis non nisi præclaris rebus prudentiam nasci perluam

persuasum esset, tamen hæc illi stultitiæ propior sententia videbatur, quippe qui seculum hoc eo nunc progressum malitiæ pervidebat, ut benefaciendo male, & male agendo bene pleraq; cadant. Sunt & qui benignitati cedant adversus rigorem rebelles, & vicissim alios videas, severitate mitescere, quos comitas efferasset. [*Videlicet non uno ingenio vivitur ubique, & quo quisq; trahitur honore, an lucro, an formidine, vel quocunq; alio voto, eidem se submittit. Habent loca, homines, nationes, unaquæq; certos mores, quibus suos accommodare quorumq; ventis vela obvertere, & tantum non Protei ritu omnes induere colores retè nosse præceptum est, quod inculcat prudentiæ civilis Academia.*]

§. 30. Militem in campis laxiore disciplinæ freno regebat, ne totas habenas effunderet modestiæ. In multos tamen licentia ista, sive quod non intelligerent, sive quod dissimularent ejus fructum turpiter abusos, ne æmulo- rum calumniæ ansa daretur, exempla edidit justitiæ. [*Non facile quicquam aliud militis affectus æquè Duci aut animat in prælium, ac licentia prædæ, cujus tanta in bello vis, ut & cætera nihil ausuros armet in hostem, tantaq; dulcedo est, ut gratior illa ab hoste parta veniat,*

nia
Qu
sic p
om
mo
ber
tus
Ne
mel
fedu
stra
illa
& p
net
illo
bell
ca p
con
assu
obre
cong
tin
joci
bi a
bitu
stern

niat, quam datum ab Imperatore premium. Quemadmodum enim omne munus obligat, sic propria virtus nulli debet. Et vulgo miles omnia sibi licere credit, nec licentiam cum modestia, nec verecundiam cum armorum libertate consistere, satisq; factum officio suo ratus, dummodo magistratus iussa exequatur.] Neq; ille mereri de WALSTEINIO poterat melius, quam quo se gereret insolentiùs. Qui sedulò suscipiunt expeditionem alio vorsum distrahi non sustinent. [Militia autem media illa aëris regio est, in qua nimborum tempestas, & sagittæ fulminum regnant, quæ supra eminent, serenior illa neq; vicibus obnoxia, imago illorum est, qui sterile otio tempus alunt. At belli alia est natura, isthic indicta itinera aulicæ facundiæ moras non ferunt, neq; ad arma conclamatio spatium dat elegantia studiosis, ibi assultus hostium non elidunt pompa. Quamobrem miserrimè errat, qui cum ludo equestri congressum semel sustinuit, gloriosum se protinus militem esse credit, inscius quid distent joci seriis, quorum isti applausû à mulierculis, hi à viris reportant. Hic lectæ variegati habitus tessera oculorum pascua hostem nullum sternunt, neq; comtulorum puerorum globus

post

post terga tractus turmas aut legiones supplet,
 hic aulicæ fraudes castella nulla intercipiunt.
 Unumquemq; domesticum decent. Et bene
 cum omnibus agitur, ubi singuli sua tractant.
 Idcirco facete admodum Noster cum no-
 biles aliquot splendido ornatu, magnoque a-
 gmine servorum instructi ad ipsum inviserent,
 postquam gratias pro officiis egisset, humanis-
 simè à se demissis significari iussit, irent in au-
 lam Purpurati Ditrichsteinii, (ei enim commen-
 dasse illorum elegantiam) quippe quos citharæ
 & fidium concentus magis deceat, quàm toni-
 trua Martis, & gratus balsamorum odor plus
 quam nitratus machinarum foetor juvet.

§. 31. Alio tempore magno cuidam inter
 belli Duces Tribuno, honoris causa comparen-
 ti cum audivisset pellicem circumducere, nullo
 amicitiae & benevolentiae officio prætermisso
 gratissimam sibi ejus voluntatem mirificè testa-
 tus, nunciari mandavit; eligeret Gitschini in
 opido cui ornando commodum intentus e-
 rat, quod designasset ipsi hospitium, Fore
 enim procul dubio, ut qui tam aptum replendæ
 civitati instrumentum secum duceret, loci isti-
 us populum magno numero esset aucturus.
 [Vulgo equidem fertur, Martem in amorem
 Veneris sensim illabi solere. Ad id po-
 tius vanæ Poëtarum gentis suave somnium
 est,

est, quàm veracium Auctorum fides. Propudia enim castrorum feminae sunt, quae exercitus vires & robur enervant. Germani veteres fortissima Natio, conjuges quidem in bella educebant secum: Verùm hoc pro illo aetatis statu fortitudinis irritamentum magis erat. Amore enim & maritali religione impulsus acrius pro gemina & sua & illarum salute dimicabant. Ac praeterea uxorum opera necessariis ad victum rebus instructi, quae illarum partes fuerunt, expeditiores ad occasionem invadendam prospiciendamque viri relinquebantur. Sed greges mulierum in acie extare, interque praeliantium signa, comarum nodos evolvere, aut inter micantes gladios lascivos oculorum radios jaculari, vel tympanorum murmura amatoris suspiriis permiscere, id verò jocularè malum licet, detestandum tamen, idque eò magis est, quo fortius ejusmodi voluptatum blanditiæ cursum gloriae abrumpunt, atque intricant. Quomodo autem is militiam reget, cui imbecillis muliercula dominatur? Certè nescit in tempore gladio uti, qui inter lascivos amplexus haeret, nec audit tubarum clangorem, cui mollis basiorum collisio

D

aures

*aures obtundit : Ut me herculè misera condi-
tio illius sit , qui dum per armatæ mortis vi-
am incedit , ad interni opprobrii vitiosas are-
nas obbarret , dumq; grassatur ad arcem hono-
ris , in cecas Furiarum ac dedecoris fossas in-
currit.]*

§. 32. Titulorum antiqui generis fumo-
farumque cerarum prærogativum inter milites
severè proscripsit , soli virtuti ac meritis Princi-
pem locum convenire , dictitans. Aiebat
quoq; ab eo , qui lingua pede aut pileo tantùm
fervire sciat , fructum ingenii vel manus rarò
sperari posse. Nam qui armis dat operam ,
simplex munditiis est , & animo liber , aulicus
discolor pectore & habitu. [*Magnus animus
non descendit ad vilis & depressæ indolis in-
eptias. Quare benè sibi consulet , si hortos A-
donidis potius , quam Martios campos peram-
bulet , qui admirationem ex elegantia corporis
sermonum gratia aut ornato habitu querit.
Amantium laciniosa verba dicendique aulicæ
ambages non juvant militem , nec perinde or-
dines complent ac feminarum auriculas. Sunt
enim propria Pacis artes , ideoq; non exercen-
tur melius , quàm in toga.] Ex hoc igitur ho-
minum genere quoties Alberto aliquis appare-
ret comptus & fragrans , ad aulam inquebat ,*

Nam

*Nam castris non est natus. Loricae & thoraces
Veneris tuae radios non excipiunt. Galeae con-
forum crispatis laboribus non parcent & nitrati
pulveris fumo facies tantum afflabitur. [Ma-
gnis ingeniis rara cura est corporis. Nec fa-
cile placebit illius fortitudo alteri, qui sibi cul-
tu formae placuit antè. Qui autem verè for-
tis est, muliebrem ornatum inter maculas vir-
tutis recenset; scilicet virum lacerti robur,
feminam teneri artus commendant.]*

§. 33. Silentii adeo studiosus erat, ut quo-
niam rerum gerendarum curam id esse didice-
rat, ita premeret arcana, ne cuiquam quidquam
illorum suboleret. Sic durante inter Ferdinan-
dum & Regem Daniæ bello præter omnium
spem ac expectationem in intima Holsatiæ lo-
ca irrupens citius profligavit hostem, quam
ut fugam præcavere posset. Noribergam mo-
tis castris tendens, cum nemo non crederet de-
fensionem urbi meditari WALSTEINIUM,
consilio ejus ab eventu longe alio prodito pro-
digii miraculo silentii sui arcana obsignavit.
[Principum pectora conclave abditum esse de-
bent, solis consiliis & cogitationibus consecra-
tum. Equidem amicis intimis vicinorum,
aurea claves concedi non nunquam possunt,
at ipsius animi custodia non nisi Harpocrati, si-

lenticii Deo à fabulis celebrato, committi debet. Arcanum silentii negotiorum anima est. Multi status sui rationem prope ad incitas dejecerunt non satis cautè mentis suæ custodes.]

§. 34. Hinc noster gravioribus curis solutus manu sua ordines consignare, & in indicem quasi digerere vacuus solebat. Et cum non ignoraret eos, qui à secretis Principum sunt, sæpè in grave Dominorum præjudicium effundere interdum commissa, quod quidem tegi cupiebat, suorum arbitro non committebat facile. Nam etsi manum scribendo fatigare, nescio quomodo habet aliquid contemti & notæ vulgaris, usq; adeo ut hodie non Principes tantum, sed & minores Reguli majestatis indicii loco numerent, *Incomtas literas*, dum in subscribendis libellis ductus formant, quos Chaldæos Ebræosve esse jures; ipse tamen hanc opinionem, tanquam stupidæ ambitionis & inscitiae plenam sapientissimè damnabat. Etenim si Majestati impofterum ignorantia adscribi debet, nihil restat, quo minus & peccatis laudes, & vitiis gloriam tribuamus pariter.

§. 35. Sed quò retinentior secreti sui erat, eò diligentius in aliorum arcanis pervestigandis laborabat, exploratoribus hinc inde dimissis, qui de hostium consiliis sedulò referrent, facemq; commodis suorum prælucere. Memoratu

moratu & comendatione dignum est, quod Chiefa è Principibus tribunus unus olim mihi narrabat, Albertum singulis mensibus speculatorum industriæ ad XM. unciales destinare solitum, interq; hostes & regiarum partium præcipuos aluisse fautores. Quem morem & apud aulas servaverit. *Profecto exploratores sunt quasi exercituum lucernæ, irruptionum Duces, & solarii status indices digiti.* At nec illis tamen ubiq; & semper fidem dabat, neq; diffidebat interim semper. Solebat enim de malis ominari pessimè, de lætis autem læti nihil præcipere. Rebus singulis idoneos eligebat adjuutores, nobilesq; si daretur copia, & jam alicujus nominis viros, haud ignaros & honorum & pecuniæ jacturam facere, qui ineptis distribuunt munia. Illorum autem qui gratiam Principum novos argenti comparandi modos excogitando, juxta verò servituti ministrorum arctandæ insolitas technas suggerendo captant regulam, tanquam è trivio natam prorsus abjecit. Consiliorum tempestatis suæ secretissima claustra, nummorum clave referabat, ut usq; in remotissimæ Sueciæ arcana penetraret. Cujus Regis propositum etiam antequam in Germaniæ factum se armarer, nec dum supremo militiæ imperio exutus, (prima quidem vice) aliaq; plura longo ordine Cæsari detexit, inter cætera ostendens, maris Balthici præfecturam, cujus ti-

tulum primus usurpasset, non ad privatæ ambitionis aut gloriæ triumphum, sed securitati Imperii adinventam à se esse, utpote qui ab isto cardine horribilem tempestatem Patriæ inimicere prævidisset. Præter hæc quoque ordinum & Civitatum Imperii dissidia, quibus invicem, antequam Suecorum partibus favere inciperent, concertarant, noverat. Quæ res occasionem Tillio dedit Noribergam aula inde translata cum exercitu eundi, & excidio Magdeburgensi prima jecit initia. Pari solertia confederationes & consilia hostium peritiora indagabat, aptissimum victoriis instrumentum esse ratus, noticiam adversæ partis molitionum. Hæc enim cynosura est consultationum publicarum: *[Ictum prævisum facile licet exire, inopina ægrè declines: Ut qui sine Duce viam ingreditur, aberrat citò, sic qui conjecturis fedit, iudicat temerè. Quisquis autem rerum nexibus consilia informat sua, solido nititur fundamento.]*

§. 36. Et hanc igitur in negotiis curandis industriam, aliorumque noscendis operam idcirco potissimum amabat, ne quid vel gentium vel militum Principumve indolis ignoraret, non tam studio privatæ gloriæ, quam ut errores vitaret cautiùs, quibus & publici alicujus facinoris fama minui & universæ vitæ decus in discrimen

men adduci queat. *Non enim quicquam Principem æquè commendat, ac nomen celebre, & magna existimatio.* Porro licet sint vulgò, qui calumniam latius sermonum vicibus sparsam majoribus odiis applicant, contrarium tamen ille potius tenuit, libenter audiens, si quis commemorando errores occasionem corrigendæ ipsi suppeditaret. Neq; eorum ministerio diu uti solebat, qui omnia illius facta laudantes imbecillitatem judicii sui tantum prodebant, solius felicitatis præcones, cæterum pravis dijudicandis impares. Aliquando amicorum non nemo, famam esse ajebat, seculi summum Imperatorem illum esse, alius contrà immanem Bohemiæ beluam vulgò cognominari referebat. Alterutro tantùm vero, ad priorem severo vultu conversus. *Quid narras, inquit? Nam me herculè, si Bojorum beluæ maximi erunt, seculi Duces, quid tu nisi orbis totius Princeps adulator & carcinoma aulæ meæ eris? Simul ut erat splendidus, huic aureos M. numerari jussit, patientior nempe vocari belua, quàm sustinere palpos impudentiæ.* [*Felix procul dubio etas omnis foret, si calami ac linguæ libertatem, ferre sciret.* *Legere enim aliorum lapsus, ostendit proprios, & corrigit juxta.* *Sæpe quidem metu veritas reticetur, at illi excusso indignatio succedens, postremo rem ipsam extrudit.*

dit. Eaꝗ, tunc id, quod celarat primò, tantò exprimit magis, quanto tetriùs fuci & adulatione, & ingeniosa pigmenta pellucent tandem. Quamobrem qui consulere rebus suis cupit, privatim surdus, publico rumori aures arriꝑat, linguasq; maledicas in usus convertat suos. Videntur enim sic dictæ, quod verum, quo exosius nihil, ferè dici potest plerumqve commemorent.]

S. 37. Arcanum illud dissidii civilis, quod à quibusdam imperantibus tanquam instrumentum commendari solet, quo subditorum animos distrahere, & à concordia intestina opprimq; magnitudine audacia in majus adversus Principes aucta argutè ad rixas & æmulationes dejicere queant, perpetuo abominatus fuit; nam quanquam fortassis rebus pacatis aliquid prudentiæ inculcare videatur, tamen in universum solidum id esse non existimabat. Fieri enim adeò non posse, ut ancipiti fortuna utramque partem in affectu retineas, ac studio benevolo, quin potius huic addictus, illam hostem habeas atq; adversam; sæpius quoq; ultionis amore quæsitâ occasione cum urgere se sentit ad castra hostium deficiat, & aperta odia profiteatur. Neq; rarò accidit, ut qui jam arma induere populi, in turbas & defectionem eant præcipites.

pites. Cumq; partibus novo sub id emergen-
te malo præteritorum perpetuam oblivionem
indulgeri vident, lues, quæ hæcenus corpus per-
vaserat, ascendere in caput solet. [*Adeo planè
contineri non potest spiritus factionibus innu-
tritus. Et qui semel multorum sequacium
turbæ assuevit, ad regnum & Principatum
facile aspirat. Neq; tutum est, ne exhorrescat
arma civis, armorum exercitio eundem oble-
tare. Lupus qui semel humanum sanguinem
sorbuisset, ubi eum rabies edendi fatigat postea,
vivorum corpora etiam intra domorum vico-
rumq; septa aggredi consuevit.*]

§. 38. Huic ille & majoribus aliis malis
remedium tale inveniebat, ut non nisi inquietos
bello allegeret, in quolibet campus turbulen-
tum ingenium exercendo pravum paterni soli
aërem dispellit, & publico usu enses coercet,
quem otiosa manus in damnum Principis, &
cæterorum per seditionem corripere. Eo fi-
ne cum sciret Principum Bohemiæ equitum a-
liquot in nova ac intuta proclivem animum, ut
regni tumultibus ansam præcideret, militia &
Cæsareo sacramento auctoratos illos inescare
cogitabat. [*Corpus nempe quod humore pra-
vo vexatum levando illi remedium non inve-
nit, difficulter reficitur. Mare profecto ad*

D S

littus

littus evomit, quicquid corrumpendis aquis aptum innatare sentit. Et jam toties intelxit Gallia, quantum ferat damni inquietis pacis & otio abutentis ingenii amplexus, quippe quæ tunc concussa suis motibus maxime fuit, cum exercendi civis occasionem aliam non habuit, tunc in viscera sua arma domestica convertit, cum ansa alia qua prenderentur non adesset. Neque Hispani forte nunc duarum coronarum ipsorum gemmarum jacturam deferent, si tumultuantem in Portugallia & Catalaunia gentem ad integrandum in Flandria copiarum robur evocassent mature.]

§. 39. Erga Catholicos & Protestantes (sic dictos) idem semper fuit, ubique conciliandis animis illorum opinionum varietate divulsis exulceratis, unice intentus, adeoque turpe ducens sanguinem fundere, & bello gentes excindere, ob privatam conscientiae sensum, eò quod, ut ille quidem dicebat, alter credere recusaret, quod crederet alius. Ac quamvis sciret parum se idcirco gratum esse Principibus sacrae professionis, tanquam qui & vitæ & rerum aliarum omnium curam divino cultui, & religioni postponendam esse arbitrabantur, tamen ille dissimilis sui ideo non fiebat, plus nimirum tribuens prudentiæ civili, quam doctrinae Catholicorum.

At

[At vulgò quidem cautè agit, qui media incedens via, nec horum favorem, nec illorum odia provocans populo se commendat, illi tamen lata adeo diductaq; (distortam alius diceret) conscientia erat, ut religionem periclitari interrim non existimaret, dum quocunq; modo & libertatem & amorem subditorum vindicaret sibi. Fertur & illuc progressus esse, ut si qui de Prelatis, quos vocant, contradicerent, eos castigaret, exemplo bono non vinculis & carcere ordinem sacrum constare affirmans. Nonnunquam addidisse auditus est: Qui has voces ferre nequit, is & à factis sibi caveat. Sed quicquid horum sit, Religio certè delicata res est, de qua judicare aut sententiam ferre non est omnium. Nam fides, quæ assensus est intellectus, revelationi tantum innititur. Errat facile, qui disputat. Prestat enim acquiescere, & fervido potius affectu, quam curioso studio luxuriare. Ordinis vero sacri qui sunt, Deo cum serviant, & si mala cetera, coli tamen debent. Venerabile quippe munus est, quod directè altissimo famulatur. Quapropter calicem tractare, & sceptrum gerere distincta sunt. Regem equidem Purpura, at

Sacerdo-

sacerdotem non facit. Nam qui hunc tangit, pupillam Oculorum Dei ipsius laedit. Mundus autem de iis rebus, quas videt, iudicet.] Interim tamen rectè quorundam luxum, tanquam rem mali exempli detestabatur, qui specie magnifica seculum ludificantes hoc unum agunt, ut professam voce paupertatem opibus cumulent, quibus tandem eas acquirunt delicias, quas in aliis subinde reprehendunt. *Alioqui freni vicem illi præstare oris libertas potest, qui sua facta culpam non libenter audit.*

§. 40. Ad consilia nobiles præ cæteris evehebat, haud ignarus, vitam nobilitatè privatis commodis non indulgere perinde, ac illorum cupido solet, qui ab amore gloriæ & memoria virtutis longius sepositi augendæ fortunæ illecebris vincuntur. Eratq; illi longè alia mens, quam iis vulgo sedet, qui humilibus & fordidis servitiis gaudent tanquam quæ & parere melius credunt sueta, & magis vacua desideriis istis esse, quibus alii à rebus fideliter gerendis retrahi ferè solent: *Ab animo humili non nisi humilia, & parum valitura ad magnitudinem posse sperari.* Illustrium autem virorum vitam ad securitatem plus conferre ponderis, quam fervorum generosos conatus. Eam ob causam, Duces & Principes (ut Comitum & Nobilium totius Europæ nationum numerum propè immensum

mensum taceam) quos habebat milites, variis honoribus ornabat. Quibus excelsos militum animos ita alere norat, ut qui tot Dominorum praesens robur intuebantur, victores pariter spiritus fumerent, quique tot Principes pugnare conspiciebant, pro gloria nullum praelii genus declinarent. Neque; Duces deesse ibi facile poterant, ubi tot tamque; praecleari quotidie conveniebant. *Nam quemadmodum aurum rubigo non consumit, nec solem macula tollit, sic virtuti nunquam deest, quem Nobilis ortus eadem destinavit semel.*

§. 41. Sed velut nobilem nasci fortunae donum est, virtutis vero opus, & virtutem & seipsum attollere, ita dignior fortassis est ac major is, qui virtute statum ornat suum, quam qui partem ab aliis nobilitatem aut conservat tantum, aut illustrat magis. Quamobrem post Principes ac terrarum Dominos summo favore & gratia complectebatur, quoscumque; alios viros fortes, ac dotibus animi eminentes. Nam & amplissimis praemiis eos, & stipendiis liberalissimè prosequabatur. [*Licet enim verè regium sit, quod ille agebat, multos circa se reges habere, tamen multo majori jure laurum meretur, qui corona virtute praedictorum cingitur: Dignus quippe est loco praemiorum virtutis, qui virtutem aestimare se ostendit, DEUS ipse*

*ipse premia laudi disponit.] Illa autoritati
 robur adjicit, gignit altissima, fert fructus glo-
 ria, quam tantopere magnarum mentium Prin-
 cipes quoq; affectant. Igitur ille quoniam pla-
 nè perversam aulam esse didicerat, in qua ava-
 ritia dominante hospitium soli pompæ & simu-
 lationi præbetur, odio semper habebat menda-
 ces & simulatores & pigros ventres, at scurras
 & ridiculos propemodum capitaliter. Intel-
 ligebat enim satis mores à consortiis ferè arri-
 pi, indeq; eum, qui cum insulsis ac inscitis con-
 versatur non nisi similem illorum esse. [Et initio
 quidem scurrarum usus ab otiosis excogitatus
 fuit, qui cum virtutis studia fastidirent, ludos
 & jocos quasi vere, desidi vitæ fallenda, quorum
 fumosa nebula sæpe bonum nomen obfuscant.
 Quapropter etsi tempus vulgò omnibus carum
 ac pretiosum est, Principibus tamen & viris
 in illustri degentibus, qui gloriosis factis impen-
 dere id queant, carissimum esse debet. Quin
 & ipsi joci ac sales, si qui miscentur, personis
 Principum digni sunt. Neq; me herculè po-
 tior ludus erectæ indoli dari potest, quam collo-
 quium cum virtutis alumnis. Horum con-
 gressus plus sæpe affert prudentiæ, quam cre-
 bræ de status ratione consultationes. Et qui
 Docto-*

Doctorum consortio utitur saepe, consiliis arduis instruetur. Rerum quippe notitia elimat ingenium, & eruditi sermones acuunt iudicium, ad deligenda consiliorum optima. Non enim unquam prudenter consulet aut conjiciet de futuris, qui stupore & inscitia delectatur aliorum. Quid autem foedius, quam Principum sedes, aulas in theatrum cavillorum ac ineptiarum convertere, ferarumque caveas pluris aestimare, quam Doctorum confessus? Quorum pretium penuria demum indicat, quomodo nanos ideo fere suscipimus, quia statura deficiunt, quos si absque hac forent, pensi haberet nemo. Nunc Philosophus relinquitur pannosus ac lacerus, reliquorum incultum agmen, tessellatis vestibibus luxuriat, invitantur scurræ, mendicat virtus. Hoc autem quid aliud est quam fovere inscitiam, colere vitia, & nature sordes aestimare?]

§. 42. Noster verò sumtus rectè facere, & cum laude nummos collocare melius norat. Nunquam enim magnificæ liberalitatis suæ vires exserebat magis, quam erga militem benè merentem, adeò, ut ob argenti defectum, quo dignitas alioqui sustentatur, non tantum non sineret tribunos suos gradu decedere, sed & eo
ambiti-

ambitiosius collatis stipendiis & erogatis præmiis singulorum honori succurreret, quo cupidiores retinendi illius unumquemque; intelligeret. Hinc sæpenumero Duces, quos aliorum miseris levandis, tribunisque; turmâ exutis in supplementum cohortium suarum apud se alendis ad alieni æris incitas delapsos cognovit, ut ordinariis tributis solvendis impares familiam contrahere & à splendore ad fordes descendere cogerentur, ipse debiles solutos muneribus erexit, designatisque; opimis hospitibus in pristinum statum reduxit sensim, exemplo suo indicaturus. *Non deserendum Principi ministros esse, qui commodis publicis impendissent propria. Neque enim facile officio, quod ab egregia voluntate ex animo privatis lucris vacuo profectum sit, parem gratiam referri à quoquam posse.*

§. 43. Hoc animo in utraq; fortuna fortem & frugi militem ille tractabat, quoque; minus ejus ope indigebat, tantò habebat delicatius. Et cum ab imperio militari abdicatus privatim ageret, multos suorum retinuit tribunorum, qui pariter erant dimissi, plurimis hospitium suo sumptu præbebat, nihil intermittens, quo honestæ illorum vitæ succurri posse arbitraretur. Hinc fiebat, ut pristino loco redditus tanta celeritate tam validas copias, quas Imperii animam & Austriacæ domus columen fuisse tempus docebat, colligeret. [*Non enim equum*

æquum est, ut negligatur in toga, qui sagum
 ornarat nuper. Neq̄, miseriarum calamito-
 sis plagis devorandis relinqui, subtracta ope,
 solus debet, qui pro Principe vitam pacisci
 non dubitavit. Illa cicatrix, quæ virtutis
 bono vitæ militis commendatitias quasi publi-
 ca charta promulgat omnibus, Pittacion quoq̄
 est, in quo indelebiles notæ ingrati animi com-
 parent, quoties vulnerum pompa perstringit
 oculum non agnoscentis. Neq̄, perniciosius
 Reip. quicquam esse potest, quam pacis tempo-
 re benè meritos cives negligere, qui laborum
 suorum præmium & virtutis sperarant, orna-
 ri præ cæteris. Aut quis æquali mercede la-
 borem & otium persequi solet? Multo rectius
 administrabitur Resp. si iis, quorum spectata
 fides & opera est, paribus præmiis occurratur.
 Ita quippe & cæteris servire cupientes ad si-
 milem industriam invitabuntur, neq̄, isthic
 ministrorum annona ingravescet facile, ubi
 mercedem labores inveniunt. Quamvis e-
 tiam sæpe existimatio generet superbiam, sa-
 tius tamen est Principem à superbis amari,
 quam contemni à retrimentis.]

S. 44. Eum nunquam liberalitate sua de-
 serebat, qui servitio splendido patrociniò se

E

ipfius

ipsius dignum probaverat antè. Generosa
 facta sola erant, quibus aut inescari aut in par-
 tes flecti poterat, satisq; ad summam opinio-
 nem apud illum comparandam conferebat,
 summa patrare; ut qui nullas commendatitias
 æquè acciperet, quàm opera egregia & conatus
 eximios, neq; clauso oculo ullius merita intue-
 retur, qui vigili semper observabat singulorum.
 Quippe qui fidem ac diligentiam suorum tunc
 fermè ornabat præmiis, cum aut desperarent,
 aut non expectarent gratitudinem. Cujus rei
 illustre argumentum dedit *Comes Piccolomineus*,
 cujus in Lucensi prælio singulare robur pari
 honore decorabat. Et Comitis Pappenheimii
 ac præclari Ducis Chiesæ exequias ipse ivit, vel
 hoc unico testimonio æternam memoriæ po-
 sterorum notam impressurus sui erga bene me-
 rentes affectus, ac voluntatis. [*Laborum o-*
mniū levamentum ac solatium pulcherri-
imum est, scire nihil frustra geri. Ibi enim,
vel sponte dotes animi quisq; impendit, ubi
vel tucris vel honorum certa spe mutuò alitur.
Principes igitur & Magnates gloriæ nihil de-
dicat magis quam amor virtutis, gratitudo in
ministros & honor prudentum. Hæc enim
& talia plura magnos illos & venerabiles red-
dunt non tantum apud suos, sed & apud ex-
teros quoq; & peregrinos. §. 45. Ejus-

vis e
 tere
 cip
 Cæf
 aliq
 ne n
 abso
 aver
 vir
 pila
 bat
 isto
 mo
 et, f
 bito
 dan
 per
 ctu
 ac p
 pta
 eam
 strz
 det
 loc
 nu
 jec
 tan
 tus

§. 45. Ejusq; consuetudinis tanta in illo vis erat, ut cum ad sola merita animum adverteret, tantū abest pateretur se vel clientela Principum vel amicorum precibus ne ipsius quidem Cæsaris jussu commoveri ad conferendum ei aliquod munus, qui iterum nudā commendatione niteretur, ut irritatus ejusmodi bullis, quem absq; illis commendatū sibi fortassis habuisset, averfaretur potiùs. Aliquando extraneus quidā, vir militaris Cæsaris mandato instructus principularis munus ambiens, non tantū non excidebat spe sua, sed & falsè perfringebatur. Nam cū isto in convivio, quod Albert. cum majore summorum Tribunorū parte celebrabat, unā adfueret, familiari admodum joco: *Est, inquit, Committones ingratum forte vobis quod decrevi: Quidam è vestro numero mortuis adscriptus est nuper: Mirantibus illis nec satis intelligentibus dictum, composito ad gravitatem & tristitiam ore ac pariter vultu: Novitius, quem videtis, ait, captat cohortium vestrarum unius præfecturam, eamq; in rem præsto est, ut operiatur fatum vestrum. Quamobrem moriamini licet, ut locum detis illi.* Alium jam ab ipso Cæsare tribuni loco donatum, quo Petrus Ferrarius cesserat nuper, recipi ab Alberto se petentem illicò rejecit. *Nolle se, dicitans carere Ferrario, mox tamen in alium spartam illam contulisse auditus. Quibus & sexcentis aliis indicare volebat:*

[Nihil se aestimare aut ornare nisi solam ser-
 vitii diuturnitatem, & experientia robur, &
 meritorum momenta solere. At me hercule
 tormentum est, æquo ac honesto, & explendis
 amicorum desideriis juxtâ satisfacere. Nam
 qui meritis locum dare volet, horum votis mo-
 rem gerere non valet. Quippe qui omnes
 preces excludit, offendit orantem, qui admit-
 tit, in merentis incurrit odia. Adeo omni ex
 parte intutum est hoc consilii genus. Optimum
 autem sapientis ministri est, non audire faci-
 le, at qui in publica commoda inclinatus
 gloriosiores sumptus facere non potest, quàm si
 omnem privati studii amorem condonet Reip.
 Praestat enim dolor ejus qui sperata gratia ex-
 cidit, quàm qui merito premio dejectus indi-
 gnatur. Nam qui hoc dignus est, habet cur
 succenseat, & ingratos mores detestetur. Con-
 trà, quem nihil merentem spes fefellit, tenui-
 tatis suæ memoria subeunte incipiet mereri,
 quod jam tulisset ille.]

S. 46. At noster gratia præveniebat fe-
 rè preces, neq; intra votorum desideriorumq;
 fines liberalitatem suam coërcens, sed implo-
 rantium necessitatem longo saltu transcendere
 solitus. [Nulla quippe gratia carius emitur,
 quam

quam quæ iteratis precibus acquiritur tandem. Is autem rectè favorem largitur suum, qui sponte effundit. Cauponari beneficia nihil aliud est, quam Deorum thesauros venum exponere. Hoc enim uno imitamur DEUM, cum benefacimus aliis.] Atq; hîc memorabile admodum est factum militis alicujus, qui ad centurionis munus evectus gratias nullas Imperatori egit, quod ipsum ita delectavit, ut amplissimo mox honorario tacentem mactaret, placere sibi fassus virum, ut qui silentio agnovisset, non virum, sed merita à se æstimari. Non autem opus esse, ut illi gratiæ agerentur, qui gratis nihil contulisset. Adeo norat ille virtutem ornare, debiti instar esse. Neq; Ducem belli minùs teneri militem stipendiis colere, quàm illum deceat, pro salute Principis vitam projicere. Proinde qui gratiam merenti confert, non gratis, sed justitiæ litat.

S. 47. Indignos autem qui honoribus auget, sementem in arena facit. At ubi favor Principum probæ mentis, fecundo solo creditur, confestim virescit ager & fructus, solidam gloriæ annonam producit maturè, cujus excrecentes mox ramusculi victricis lauro innecti cupiant. Non locus viro, sed vir loco ornamento esse debet. Eqvidem possunt regii Caballi phaleris, & stragula aurata jugalium tergis in-

sterni, qui idcirco non desinunt esse rustici & aratores. Quanto officiorum dignitas magnorum, virtutem illustrat & erigit, tanto eorum, qui indigni fruuntur iis, absurditatem reteggit apertius. Præmia enim non nisi virtutem commendant, quæ egregiorum consiliorum anima est. Hanc ergo uti amare volunt omnes, ita & honorare ac colere debent præmiis.

§. 48. Bello Danico cum talem se præstisset, ut Cæsar Principis Imperii fastigio, collato ei ob id Ducatus Mechelburgensis principatu, non indignum proclamaret, protinus Celsissimi titulo assumpto mores quoque similes induere coepit. Ex eoque tempore familiari cum domesticis consortio abstinere, rarius in conspectum quenquam admittere, adeoque cum honore mores universos immutare visus est, ut in majus adducta aulae specie, retractaque à publico vitia sua, difficilimè ad colloquium, rarissimè ad conspectum prodiret, cumque antea convictu familiarem cæteris se gereret, tunc cibum solus capere incepit, tanti culminis gravitatem ratus, Non consistere cum levitate vaporum illorum posse, quos vini & ferculorum copia emittere in caput solet. Neque jam amplius vulgaris Principis aulae faciem ipsius exhibebat victus, sed qui cum summo quoque splendore certare potuisset. Nam & multitudo & habitus & dignitas ac mores ministrorum, illius pompam
for ma-

formabant, qualem magnificentissimus splendidi-
 dissimusq; Rex quicumq; ostentare potuisset.
 Pedisequæ, quos allegebat ex optimis quibus-
 vis elegantissimisq; ac scitè ministrantibus pan-
 ni cœrulei, sed qui intexto auro rubri serici tes-
 fellas præferret, ibant distincti. Puerorum
 Nobilium, quos pariter comptos, amabiles, ac
 forma præ cæteris conspicuos habebat, vestis e-
 rat, sericum villosum ac molle cærulei coloris
 auro & rubro prætextum. Satellites è fortis-
 simorum militum, quicq; decenti forma corpo-
 ris emerent, flore asciti, præterquam quod
 panni pretio inferiores erant, illorum habitum
 referebat omnem, Cubicularii ipsius, equites fe-
 rè erant, & aureæ clavis honore insignes, quorū
 nonnulli hoc munus ipsi Cæsari exhibuerant,
 quisq; suo cursorum famulorūq; nobilium glo-
 bo instructus. Insuper Prætorio præfectus, vir ex-
 cellens & illustris planè, equorum immensa no-
 bilissimaq; series, rhedarum pilentorumq; in-
 gens numerus rebus ad victum, cæteraq; vitæ
 subsidia necessariis onustus, immane quantum
 illi decus ac pompam conciliarent. Juventu-
 tis nobilioris educationi omnium scientiarum,
 magistri præerant, & præter illos magna Do-
 ctorum aliisq; excellentium Virorum turba ar-
 tibus circa ipsum fremebat. Quos ille veluti
 ora illa applausum auram nominisq; famam in
 terrarum orbem spirantia beneficiorum melle

diligenter inescabat. [*Hæc enim summa Principum gloria, res à se gestas æternitatis foliis inscriptas, & præstantium virtute viro-
rorum linguis celebratas legere. Quippe quo-
rum palato Deorum instar non nisi ambrosia
convenit, nec vulgaris alius cibus arridet ullus.
Indubitatum autem est certissimumq; præclari
meriti indicium sapientum scriptis & sermo-
ne prædicari. Nobilissimæq; fame funda-
mentum est, laudari à laude dignis. Exactum
judicium non fallit. Neq; commendat faci-
le, quod turpe ac probrosum esse novit. A-
deoq; laudando adscribit superis. Quapro-
pter Prudentissimus merito ille est, qui in ex-
celso vitam degens cautè res suas administrat,
ita, ut posteris exemplum, fame autem eter-
nam titulorum materiam suppeditet.]*

§. 49. Vèrum quanta ille munificentia
egregios tractabat ministros, tanta quoq; seve-
ritate libertatem eorundem sibi vindicabat.
Nam si quis missionem honestam peteret ab
ipso, præsentissimam indignationem ilicò con-
citabat sibi. Adeo verum est, [*suave quidem
illam servitutem, quæ ambitionis carcere clau-
sa auri vinculis tenetur, at beatiorum multò
libertatem esse, quæ obscuro calle quiescens in-
vidiæ*

vidiæ fulmina, & fortuna vices non expave-
 scit. Et ministrare magnatibus jucundum
 est, dummodo finem aliquando sperare liceat,
 & obsequii modum. Is autem procul dubio
 libertatem vendit, qui spe recuperandi amit-
 tit semel. Principibus enim aut nunquam,
 aut perpetuò est serviendum. Nam qui semel
 parere benè cœpit, si non persequatur initia, ef-
 fundit omne meritum. Quamobrem tutius a-
 git, qui imperio domus & gregis sui contentus
 vivit, quàm qui regna & famæ titulos ambire
 non desistit.]

§. 50. Scriptores rerum gestarum, ali-
 osq; viros prudentes & spectatores summo lo-
 co semper habebat, eosq; amore & præmiis, se-
 verò non minùs laudibus & ingenio illorum,
 non indignum esse testabatur, conscius, fortium
 heroum nomini positas statuas memoriam e-
 quidem loci, in quo refulgent, reddere memo-
 rabilem, at rerum gestarum decus historiarum
 libris immortale fieri & æternum. Frustrà
 namq; Regum sceptrum cum gladiis, coronæ cum
 galeis, & beata otia aularum cum militantibus
 excubiis permutabuntur, nisi calamus accedat,
 qui tantæ fortitudinis memoriam in feros usq;
 transmittat nepotes, ut profecto Principum He-
 roumque summæ felicitatis pars illa sit, si in scri-

E §

ptores

ptores incidant prudentes, quarum ope & post
 vitam vivere in memoria hominum, & celebrari
 res ab illis gesta post funera possint. Etenim,
 picturae arte, theatrorum sumtu, aedificiorum
 splendore caeterisque; structuris magnificis, qui-
 bus sui memoriam posteris consecrare Magna-
 tes student, quorumque; usus heredum & incola-
 rum solus est, transeuntibus cum tempore, du-
 rat imago, quam in charta scriptorum effigiem
 virtutis delineante pergula aeternitatis mundi o-
 culis exponit. Quare re fit, ut nesciat aestimare e-
 ruditorum calamos, qui materiam scribendi il-
 lis generosa facta famam merentia subministra-
 re nequit. Et atramentum non habet odorem,
 nisi qui vitiorum maculis niger est. [Nam qui
 nihil scriptione dignum gerit, is scribentium
 labores velut desidia ac ignavia sua auditores
 praeconesque; intuetur, quippe qui & silentio vi-
 tia exprobrent indignis. Dum enim tacent,
 accusant delictum. Inde fit tandem, ut, quia ob-
 scurorum major est numerus, quam eorum,
 qui famam innotescunt, obliquoculo ferè autores
 fame aspici soleant. Neque; jam amplius aut Titi
 Livi aetate vivimus, cujus visendi gratia ab
 extremo Iberiae angulo usque; Roma petebatur, aut
 Iosephi seculo & Aristotelis, quorum illi à Ro-
 manis statua posita, huic pro sola Animalium
 Historia CCC. talenta Alexander constituit.]

§. 51. Si

§. 51. Si qui mutuò illis donarent, non
 equidem spernebat, quin potius gratitudinis si-
 gna multum amabat, non quod lucri cupidus
 esset, aut fœnoris studiosus, sed ut ostenderet,
 tali animo se non dedisse beneficium. Sic enim
 existimabat, *spontanea munera esse bonæ indolis
 partum, & magnæ spei gratitudinis.* Neque
 tam pretiosa ac magnifica intempestivè data,
 quam mediocria in tempore oblata æstimare
 erat solitus, joci occasione inde arrepta, ut di-
 ceret: *Adeo non dedecori Principi esse, si à mini-
 stro munera accipiat, quandoquidem Deus ipse
 non repudiat victimas & thura mortalium, &
 generositatis esse credat potius, non fastidire
 illa inferiorum indicia, quibus suum declarare
 animi affectum optent.* Talia enim excipien-
 da esse, ut fulgura tonitru præcedentia: Sed
 quanquam hæc ita crederet, non tamen cui-
 quam illorū, qui donassent, studium aut volun-
 tatē obligabat ultrà, quam ejusmodi merentur
 virtutes. Et ut erat excelsi planè animi, malebat
 ferè aliorum sibi quam suam aliis devincire o-
 peram ac debita. Ideoq; exigua donanti am-
 plissima reddebat, magna offerenti, vulgaria
 referebat, memorabili voce non semel testatus:
*[Gratiam non rei donatæ pretium, sed dantis
 animum respicere debere, atq; adeo diviti ad
 pompam largienti vili munere occurrendum
 esse, ne judicium voluntati ejus afferatur.*
 Nam

Nam

Nam si quis talem remunerari amplius velit, in contemptum id ipsum trahere sui, tanquam fœnus grandius pecunia. Contra inferiores prolixius redonari oportere, utpote quibus cum affectu largientibus paria facere nemo possit.] Quamobrem centurioni cuidam Michaëli Rustico Lucensi equum non admodum generosum & vilioris tantum notæ offerenti, cum ille postea eorum copiam quæreret, qui nec intractabiles prorsus, ne feroces nimis essent, M. Ungaricos appendi iussit. Domino Mesio Caraffæ tenerrimæ elegantiaæ caballos exhibenti, in munus hostimenti loco Bohemicarum equarum aliquot mediocris pretii restituit, falsè adjiciens, *Si amoribus aliquid donandum foret, quo mulceri eos posse sciret, non occurrere aptius quicquam aut delicatius venustulis istis. Nunc autem cum miles sit amasius, & qui belli oneribus ferendis instrumenta tantum cupiat, gratiarum testimonio has Germaniæ equas se redonare, ut & ille ad eam bonitatem pullos educeret inde, qua juvare vitam possit, elegantiam enim istam parum usui esse.*

§. 52. Horum & id genus aliorum jocularum singulares ingenii sales, quibus præ cæteris excellebat, fama quotidie evulgabat. Nam pleriq; tales ferè omnes erant, ut vulgarem fortem

tem longè excedentes, facta dictaque recentia, arguta ad miraculum usq; solertia perfricarent. Post devictum Daniae Regem cum sacri ordinis Patres (sic dicti) copiam sibi fieri obsecrarent, ædificandi in oppidorum istorum loco uno templum, respondisse auditus est, [*satis tectorum illic superesse, in quibus habitare, & in Deo cultum præstare possint. Nec enim templorum ibi penuriam sed eorum annonam caram esse, qui templorum cultum ritè rectèq; administrarent. Antistites autem sacrorum vita & exemplo salubri gregem informare, non otia & delicias sectari oportere, quibus cum seculo renunciaverint semel simplicium multos transversos agant à fide.*] Imò rotundè nonnunquam affirmans: *exitiales imperio quam maximè esse plurimorum istius ordinis perversos mores.* Quippe qui conditione sua, quamquam lautissima nunquam contenti augendis redditibus subinde inhiant, ac propagandis finibus suis plus vivant intenti, quam ut quem ore profiterentur toties, cultus divini curæ incumbant. Hoc potius agentes, ut mundi opibus fruantur cum primis. Quæ res cum sit pessimi exempli natura sua, tum principibus; ipsique adeò religioni damnum inferre periculosissimum. Dum non opes tantum, sed & integræ provin-

provin-

provinciae in manus Ecclesiasticorum recidant, quarum praetextu mox ipsa Regum sceptrata invasuri sint, jam non pedi amplius sed gladii gestatores. At Deo etsi templa honori ipsius constructa non reprobanti, cordis tamen habitaculum magis placere, quam lapidum congeries, spirituq; dominum potius quam caementis delectari. *Dandam igitur operam impensius esse posthac, ut animae niteant, non templa. DEO enim gratis simam victimam in ara cordis offerri.*

S. 53. Dribergæ F. Alerajo S. Dominici sodale religionis odio à diversæ sectatoribus occasio, cum necis argumenta non extarent satis, aula autem Viennensis inclementer id acciperet, ipse compellatus ea de re, hoc respondit tantum. *Non passurum talia fuisse sodalem istum, siquidem claustrum se continuisset suo.* Neq; enim aut ingenii sui, aut otii esse, Viris sacra profitentibus, reverentiam inter arma conciliare, dum arcibus & propugnaculis oppugnandis instaret, sibi tutillimum retinendæ illorum Autoritatis remedium videri, ut cellis suis se abdant, militiam ac castra relinquentes aliis. [*Cantus & sacella quidem revera cum militari campo nihil habent commune, at affectus Christianæ dilectionis nec loci nec status ratione habita omnibus succurrit. Pectus igne divini*

vini
se no
nuga
mod
conf
aute
etas
rum
Sin

excr
expe
oper
exen
dedi
vorz
enim
niæ
si qv
lica
felic
qvi a
bus
Ergo
quid
veru
præ

vini amoris afflatum mille mortibus objectare se non timet. Cateroquin ille sive jocum sive nugas dicere malis, quod res erat nimia prope- modum libertate dicebat. Rarus in publico conspectus mater est reverentiae. Autoritas autem familiaritate vilescit. Eò igitur hodie etas nostra recidit, ut sacras res velis tegi, earum autem ministros secerni à publico jubeat. Sin minus contemnetur utrumq[ue].]

§. 54. Porrò cum sumtus belli quotidiè excrescerent, Consiliariis Cæsaris non satis se expedientibus ista necessitate, ipse consilium & opem rogatus, hanc, quantum poterat liberaliter, exemplo cæteris præeunte tulit, ille autem tale dedit: *Mirari se negligi illorum gerendi belli nervorum copiam, qui sint ad manus. Quorsum enim tanti Antistitum ac sacri ordinis Germaniæ Procerum thesauri? Dubium non esse, quin, si quod licitum omnino in bello pro fide catholica suscepto esse credat, uti iis cœperit Cæsar, feliciter illud sit patraturus. Cumq[ue] adessent, qui arctioris conscientiæ, viros sacros ab oneribus istis immunes esse suggererent. Pulchrè ait, Ergo eorum lege vivimus, qui ipsi tulere! At quid æquius, quàm ut ipsorum quoq[ue] opes talis rerum statu in subsidium vocentur? Qui cum ex præscripto regulæ suæ nihil expendant serè nisi*

in res

in res vitæ & professioni ejus necessarias, abundant cætera. *superfluis autem non retineri pietatem, sed corrumpi, sensibus luxu tantum non obtusis & occæcatis.* Quamobrem ut erat animo planè ab iis, qui sacrum ordinem p̄vofessi privatae rei studium publico lucro præferunt, alieno, apertè satis pronuntiabat, *Civibus Imp. Rom. damnosas esse illorum divitias, qui prætextu paupertatis possiderent maximas.* Etenim & reditus civium, & cives ipsos minui, dum quotquot ingenio aliàs valerent pingue otium confectati, præ labore armorum & Principis ministerio claustra eligerent. Unde sensim nobilium ditiumve aut naturæ dotibus præditorum flore subtracto, hoc insuper accrescat monstri, ut profundissimâ arte, quarum plurimas in abdito doctrinâ, ac studio sibi comparare soleant, onera civitatis subterfugientes mox ipsis civibus & Dominis leges tum consiliorum tum conscientiae imponant.

§. 55. Conspicatus aliquando Bohemæ alicujus nobilioris foeminae palatio exeuntes & ex istorum numero nonnullos, quos ipse non adeo amare solebat, subrisit, sublatoque superbè vultu caput non nihil movens, *Pulla,* inquit, *veste opus est, quantum video, quoties impunè ad formosam aliquam viduam invisere libido est.* Tum ad circumstantes conversus
Ecquan-

[Ecquando, ait, & nos ad grande illud carmen cum spiritu aut delicias cum pœnitentium dolore conciliandi mysterium pertingemus? Profectò nigrarum istarum animarum pietas multa atrocità excusat. At quid postremò huic orbi futurum est? Cujus privata voluptas religione personata decoram togam circumdat sibi? Adeo nimirum facile est affectibus indulgenti indecora suspicari. Neq̄ enim post benè sentire, qui malè agit. Ætas nostra ingenia fert, quæ non nisi sibi immodicis sermonum censuris placent. Noster autem neminem oderat gravius quam sacris devotum, qui per vicos discursans mundanum apud mundanos se gereret.] Quia in re tantum indulgebat affectuum suorum imperio, ut nec pietatis studio parceret, nec virtutis factis. Quippe quæ sinistra deterrimeq̄; nonnunquam interpretabatur. Sic à Cæsare talem aliquando ad arduorum consultationem missum aditu ac congressu initio arcuit, tumidè ipsi significans: [Gratisimum fore, si concionem de Christo afferret secum. Nunc quia intelligat extra conditionis suæ fines negotia agitare, integrum sibi non esse, audire illum. Quare iret aliorsum, & fastidio hac vice ignosceret: ut semper difficile

F

animus

animus semel opinionibus imbutus ab affectu suo dimovetur! Sæpe paucorum error multis bonis nocet. Nervus non satis prudenter tectus publicas incurrit linguas. Opinione enim hominum unius culpa omnibus istius loci ac ordinis imputatur vulgo. Vitiorum ambitus latior est, virtus fermè angustius detinetur. Unius delictum contagii instar est. Serpit latius initiis suis. Et quanquam aliàs sanctè se interim gerat, simulationis tamen titulos speciosius tantum tendere arguitur. Ergo prebitati plerumq; exequias imus dedecorosis exemplis garrulæ famæ præconio inter illius sepulchra efflorescentibus.]

§. 56. Iterum cum alio tempore à Rege Hispaniæ quidam istius conditionis ad ipsum invifens sermonem inciperet de negotio militari sociare, averfatu illum. *Non vacare sibi, dixit, audire à mundo alienum de mundi casibus differentem, ac acerbè increpitum à se dimisit, addiditq; : Caveret sibi ab alienis precumq; ac cantionum curam gerens seculi civibus gloriam suam non præriperet imposterum. Superesse enim ejusmodi negotiis satis aptos alios. [Quod etsi non absurdè dixit, solent tamen sæpenu-mero occasiones Principum è claustris quoque mini-*

ministros in subsidium veritatis protrahere. Et religiosorum acutiores qui sunt, aptissimi ferè quibuscunq; rebus deprehenduntur. Idoneus autem satis est, qui res creditas bona administrat fide. Industria magnorum negotiorum notitiam acuit, & ministri fides Principum causas promptissimè agit. Quid quod & lucro sæpè sunt Magnatibus ejusmodi ministri, quos pompa nulla aut certè non adeo ampla decet, simplice munditie aliorum fastum superantes. Nam etsi gratiæ pignus fideli servitio debet Dominus, tamen cum fide splendorem miscenti alii longè debet majora; Inde fit, ut solitariam etiam ardentissimorum virorum vitam vel penuria meliorum vel aliorum nimius luxus turbis casibusq; Reip. admoveat interdum.]

§. 57. Adeò nitebatur ille contra sui ævi regiminis formam, ut non obscurè ostenderet, reformaturum olim absurditates quorundam, daturumque operam esse, ne quis in posterum professionem vitæ mentiretur impunè. Ferunt & ipsi Cæsari consilium dedisse, de instituendo senatu, cujus authoritate sacri ordinis virorum facta gestaq; notarentur, priusquam malitia nimias radices ageret, aut corrumperentur bonorum mores, atq; religionis reverentia facta te-

etiam maneret; neque haberent amplius Politici, quod in iis carperent, quorum diversi à decenti vitæ regula mores maledictis ansam subministrabant, sinistramque; vulgi opinionem validis argumentis confirmare videbantur. Nunquam ferè tot religionum formas, tantamque; sacrorum hominum multitudinem approbare voluit. Satius fore dictitans, *si pauci non fucato ardore in id vitæ genus ferrentur, quam quod tot ac tanti privato lucri studio ei se manciparent.* Tantæ molis ubique hic Princeps volvebat machinas, nec, quantumvis ministrum, nisi immensa ausa versare solebant. Cumque; inquieti esset ingenii, limitum finem nullum reperiēbat, quin semper altiora agitando novis subinde esset intentus. Unde fiebat, ut ad illa accederet quoque; , quibus destinatus non erat, tractaretque, quorum curam non habebat commissam: At longè rectius singuli sua quisque obeuntes quod iussi sunt, reformare debent. [*Ac veluti sceptrum non debet pastoris pedum corrigere, sic neque; galeam equum est infule superimponi. Aut quid rei est cum sacerdote militi, quidve commercii habet copiarum ductor cum sacro inspectore? Huic animarum salus, illi armorum cura commissa est. Alia sunt Cesaris, alia Dei tributa: Qui civilem vitam agunt, non premere, sed ornare sacrum ordinem debent.*]

S. 58. Ac

§. 58. At frustra paratragædiamur ob audaciam illius. Quippe qui non amicus imò adversarius (quantum patuit) illis erat, qui secus, ac ille, affecti circa factam à Cæsare togatis bonorum quorundam dispensationem fuerant. Judicabat enim ipse militiæ sudoribus talia convenire rectius, neq; sine vehementi dolore animi ostendebat. [*Non posse se illorum regulam concoquere, qui sacri cœtus incrementum professi otiosi sederent, distractarum Protestantium armis Catholicorum hætenus integrorum ditiorum spectatores, suorumq; tantum stipendiorum aucupes, & ad privatum scopum solum attenti, ne tantillum quidem à fœditate consueti luxus remitterent, quo commodius vexato ab hæreticis Imperio subvenire possent.*] Breviter: Vita ipsius politicum, uti potius sapiebat, quàm Catholicum, sic & cogitando agendoque nil nisi gloriam, ac hujus seculi magnitudinem promovebat. [*At contra, agrè capit terrestria, qui cœlestibus animum intendit. Est autem omnium hujus mundi civium officium, creatorem ipsius agnoscere. Neq; perinde menti nostræ in rebus divinis licet ludere, ac permissum illi est circa sensuum vanissimorum contemplationem fingere Chimeras.* Et tamen

hac tempestate nostra mirum, quantum ille morbus invalescat ingeniorum, ut Theologi esse omnes velint, dum nihil est nocentius aut pejus, quam cum ignorantia docentium sellas invadit. Profecto ubi aut ostentandi ingenii aut fallendi otii causa, velut per ludum & jocum sacra tractantur, proclivis est in heresim descensus, sensimq; irrepente in animum consuetudine habitus induitur, qui postremo desinit in Atheismum. Atq; utinam hic calamus meus erret, & WALLSTEINIUS solus iste fuisset!]

§. 59. Grandes aulae morum apparatus, salutandi pompas, pedum oscula, caeteraq; id genus eorum tantum ingeniorum crepundia, quae specie magis, quam rebus ipsis pascuntur, oderat, spernebatq;. Sic enim existimabat, vanam illam gloriam in animum admissa portas solidò claudi; Unde tandem consequatur, ut subditi plus vitae studiis & linguae elegantiae, quam armorum & officii sui curae innutiantur. Et quod memorabile est; sive incederet, sive iter faceret, operosè adulatorieq; salutari nunquam voluit, quoq; minus observabatur à milite, aut expectatus fuerat, eò vel prodeambulabat, vel proficiscebatur libentius. Nobili cuidam Romano, qui pro more istius aulae, profunda mul-

ta

taq; cum veneratione ipsi occurrebat, *Eccur à patria discessisset, exprobrans, ut thura isthica accerris ministraret, confestim missionem dedit. Agebat, humilimum pectus, quod aliqua genuum flexione, animumq; admodum imbellem esse, qui verborum phaleris moveretur. Qvendam ipsi ad fenestram comparenti reverentissimè salutem aperto capite dicentem acerbè objurgari iussit. [Sane exesse sine damno mortalitate possunt, qui curvo genuo & flexo poplite gaudent, vel ipsi Deitati siquidem daretur, thura sua invidere parati. Titulorum honores nunquam ita eviluerunt, ut vile est, & plebecula proprium, ambire illos. Reverentia hodiè prope saltatorum levitatem emulatur. Pilei labor capillos ita devastat, ut dum si reparantur quotidie nova semper forma & habitus emergat. Humanitas, qua hospites excipimus, ad ineptias penè nimia gesticulatione sua recidit. Ritus civiles tanto verborum ambitu sarcuntur, ut loquentes edidicisse videantur. Adeo vana ista consecrari, suprema est vanitas. Simplex elegantia, & quæ naturali pulcritudine exsurgat, optima est.]*

§. 60. Idem ipsi in reliquis dignitatis suæ honoribus moris erat, quos adeo nullos ferebat, ut ne vocem quidem prope ædes suas altam aut

calcarium strepitum, aut canum, equorum cur-
 rumve sonos pateretur. Quo fine procul
 domo sua ac tabernaculo excubias disponebat,
 quibus monerentur euntes, ut pedites, & qui-
 dem cum silentio, appropinquarent: Aliquan-
 do cum Dominus Balthasar Marradius, cujus
 hospitium è regione Alberti ad Pilsæ forum
 zoo. pedum designatum erat, intervallo, nescio
 quid, vehementius intenta voce imperaret ac
 gestu, ipse hoc sono eminus, quanquam ægrè,
 exaudito videns, per satellitem confestim illum
 modestiæ commonuit. [*Tanta sc. imaginan-
 tium sensuum vis est, ut sola cogitationum um-
 bra nudè animo impressa, quasi ad oculum so-
 lidum corpus representet, haud secus ac conve-
 xa specula quicquid offertur, clarius grandiusq;
 effingunt intuentibus. Magnis ac Principibus
 viris suus constat honor. Silentio autem quo
 solum veneramur Numen coli velle, nemo, ni-
 si magno superbiæ malo potest.*]

§. 61. At ipsius facta albis fortunæ qua-
 drigis dignitatem ejus ad id gloriæ fastigium ac
 metam devexerant, ut splendore suo omnium
 invidiam perstringens in æmulationem potissi-
 mum abriperet illos, qui suo malo illam cresce-
 re intelligebant, adeoq; concoquere non pote-
 rant tam terribilem Cæsaris potentiam, qua
 propediem libertatem ipsorum tot retro annis
 quietè

quietè gestam in ordinem redigere ausurus es-
 set. Ut igitur nimiam istam magnitudinem
 ad aliquem modum reducerent, totis ingenii
 ac solertiæ ritibus incubuere. [*Adeo emula-
 tio sæpe eventus rerum partim optatos, partim
 infelices gignit. Et tam diu bona est quousq[ue]
 servilis jugi freno moderata imitationis mode-
 stæ loris tenetur. Ubi hæc abrumpit semel,
 præcipiti modo in ambitionem lapsus fertur, &
 quæ cogitaverat orsa magnæ calamitatis ruina
 evertit. Quare qui hic gloriæ certamine
 fatigatur, cavere id operosè debet, nec collegæ
 faciliè invidet. Nam cum ille ejusdem lucel-
 li victoriam captet, faciliè accidit, ut quod hu-
 jus impedit conatum, simul & alterius consilia
 involvat ruina. Principi suo bona fide ser-
 vire, hoc verò vegetæ & liberæ indolis opus,
 hic labor esto unicus. Vix enim serviet bene,
 qui ne alio vincatur, quibus quantisq[ue] potest
 calumniæ obstaculis & fraudum technarumq[ue]
 machinis honorem ejus arietat. Ac quan-
 quam livor natura quasi in hominum animis
 accendi videatur, tamen virtus adeo potius
 medicina nobilis humanarum mentium est, ut
 rarò simili ingenio invidet, quisquis suis do-
 tibus promptè uti novit.]*

§. 62. Postquam igitur Electores, cæteri-
 riq; S. R. Imperii Principes **W**ALSTEINI du-
 ctu auspicia Cæsaris obliquo oculo in nimiam
 propè magnitudinem excurrere vidissent, omni
 studio modum excogitare, quo se isto affectu
 levarent, inceperunt. Et quoniam magnis mo-
 libus subvertendis aptissimum instrumentum
 est fundamentum, quibus insistent, subtrahere
 aut infirmare, facile intelligere poterant, con-
 silia sua, non nisi ruinâ Alberti, perfici posse.
*Felix nempe mortalitas foret, si malitiæ bonita-
 tis vultum fingere non liceret. Nunc odia æ-
 mulationis, livor malignus amicitie habitu te-
 guntur.* Quare cautò opus est hodiè ne falla-
 mur: **W**ALLSTEINI magnitudo primùm
 sui ipsius, deinde & Ferdinandi causa, quippe
 cujus opes viresq; armis augebat, invidebatur.
 Ut omnino Cæsar invidorum calumniis aurem
 præbere non debuisset, quibus in favorem inimi-
 corum fidelis ministri contra seipsum urgeba-
 tur. Fuitq; acerrimi judicii Principis prudentia,
 qui primus animadvertit in autoritatis Rom.
Imp. Electorum præjudicium vergere, quod ab
 omni parte milite cingeretur Cæsar, quo liber-
 tati ipsorum pro lubitu leges dare quandocunq;
 posset. Ideoq; cum Electore Moguntino ne-
 gotii hujus summa communicata fuit. Is
 saluberrimum esse duxit remedii genus, Exar-
 mare Cæsarem & succisis nervis ad mediocrita-
 tem

tem illum redigere, ut supplicare non imperare dignitati ipsorum cogeretur. [*Equidem utrum horum Principi tutius sit amarine an metui non opus est hic à me disputari: Tantum dixerò, ubi crebra seditiones experientiam docent, quòd subditus dum, indignationem incurrere se non posse, agnoscit, exuat reverentiam, tutius esse, metu illum coërcere & acie gladii oculis obversa inculcare obsequium, itaq; exercituum aggere inq̄vieti civis torrentem potius sistere, quam neglectis armis licentiae causam indulgere, & postremò defidem clementiam magno cum damno non sine gemitu detestari.*]

§. 63. Cæsar mox ab Electoribus ad convocandum Imp. Principum senatum Ratisbonam prætextu creandi filium ipsius Romanorum Regem allectus variisque argumentis, promissis & cæteris lenociniis eò demum adductus fuit, ut WALSTEINIUM à magistratu militari removeret; Quod nihil aliud erat, quam se ipsum exarmare. Idq; his potissimum argumentis: S. Imp. militia carere, pace jam restituta, posse. Principibus ac statibus Imp. cæteris grave videri, necessitate non urgente tanto cum subditorum detrimento ac præcipuè tali Imperatore, qui ne Cæsaris quidem

dem sui ac Patroni mandatis acquiescat, tam
numerofas copias ali ac conscribi quotidiè.
*[Ita nonnunquam dignitas subditis conditione
sua amplior concessa, status sui oblivionem il-
lis ingerit. Et qui ad locum sublimem erecti se-
mel sunt, non illã, jam quæ à tergo est viam re-
spiciunt salebrosam, sed quam in conspectu ha-
bent, semitam planam attendunt solum. Ma-
gna negotia non cuivis ingenio conveniunt,
nec omnium promiscuè captus honori illi fe-
rendo par est, qui ei debetur, tam qui istum
contulit, quam qui accepit pariter. Ambitio
ad privilegiorum prodigè à Principe concessio-
rum radios nimium quantum offuscari solet.
Hæc enim semper quidem dari; adimi vero,
quoties pœnitet, non possunt. Plus autem,
semper metuendus est minister nimio honore
auctus, quam civis qui in medio consistit. Nam
quemamodum hic dum subinde altiora sperat,
fidem servat officio, ita iste, dum loco suo mo-
veri metuit, paulatim ne vim quidem inter-
mittens machinas admovebit, quibus gradus
sui fastigium aut fulciat, aut defendat. Hinc
factum est, ut pauci effugerint ruinam, qui
pedetentim ascenderunt ad summum. Ra-
rum est, aulicus Principis gratia immoriēs. Ne-*

mo cum fidei laude decedet, qui Domino suo cedere non potuit.]

§. 64. WALLENSTEINIUS certè attigerat scopum suum; utpote qui aliorum consilia in expeditionibus suis ferè contemnebat, neq; Imperii Principes jam Principum in morem amplius, sed potiùs veluti subiectos sibi tractabat. Quin & ipsum Cæsarem adeo non verebatur, ut si quid mandatorum ipsi ab eo afferretur, extenuare illud auderet potius, quasi ab otiosis aulicis consilia inepta darentur illi, qui in libero militiæ campo versaretur. Sæpe dixisse auditus, *Viennæ mirum otium regnare in aula. Irent & M. C. dicerent, venationibus, & aucupis, canibusq; sacellorũ suorum sese oblectet, belli securus, nec enim militem aulicorum præceptis indigere, nec fas sese ut bellica tormentorum prælia ad cantorum Regulas se paterentur dirigi.* Accedebat, quod exteros nonnullos apertius odisset in conventu Ratisbonensi, qui idcirco Electorum voluntati rationes suas adjungebant. Cæsariq; eò validius id demonstrabant, quo certius persuasum multis erat, invidiâ Germanorum gloriæ suis commodis, & hujus fortunæ intentos esse. [*Ita rei privatae emolumentum omnes mundi partes conturbat, ut sine hac cynosurâ nemo quasi navigare mare negotiorum cogitet. Videant ergo tandem & evigilent Principes in*

consi-

consiliorum arcanis, ne ii, quorum prudentia, emergere debebant, suarum magis partium studiosi, & singuli domesticis addicti, potius ex affectu dent consilium, quam ut nudam ament veritatem. Quod enim fit saepenumero, ut non semper arcus illorum minetur, quod ferire laborat, idem & hac vice contigit, quando conventus indicebatur externa specie re autem vera ut extra armorum fiduciam Caesar collocaretur, dum submotum è Germania belli onus in Italiam transferre agitabant. Nimirum deijciendus erat WALSTEINIUS, ut frangerentur vires Imperii. Sic huic minatur fulmen, illum percellit.]

§. 65. Aderat sub id tempus Rex Suecorum, qui etiam si terrore & odio passim Germanis infestus volitabat, non potuit tamen & illius timor tantum efficere, ut semel concepta hæc consilia retardaret, quandoquidem Electores secundum suam pro Imperii salute vigilantiam, Tillii summæ auctoritatis & veterani Ducis fortitudinem ac felicitatem, cujus jam quinque præliis edidisset specimen, adversariorum argumentis non minus valido impetu, quam facili negotio allegare non desinebant. Igitur tandem dimissus ab exercitu fuit Anno 1630. WALSTEINIUS, quo tempore militum prope centum

tum millia sub signis ducebat, non sine orbis universi inter spem metumque deliberatione, quorsum hanc tantam armorum tempestatem Cæsar ipsius vehementia esset disrupturus. Multorum suspicionibus ferebatur, quas & vox WALLENSTEINII confirmabat, provinciam externam peti, & quidem, quantum in talibus conjectura divinare potest, Turcæ per Transylvaniam flexo itinere prudentiores malè ominabantur, tanquam cui arma Christianorum tunc temporis non parum suspecta erant. Neq; immeritò; adeò ut dubitent sagaciores, an ullo his retrò seculis ævo terribilior Germania Turcis videri potuisset. Deerat ad certam victoriam propè nihil. Erant copiæ viribus planè formidandis, potestas Cæsaris summa, Dux belli per omnia magnus & cujus fama vel sola hosti metuenda credebatur, absq; incursionibus Sueci, & malè dimissi exercitus rumore constitisset fortuna.

§. 66. Allatum id nuncii WALLSTEINIO Memmingæ opido Sveviæ, adeo non molestum fuisse comperimus, ut constanti vultu (de animi enim motibus non facilè dixerim) præter hæc verba tacitus acceperit, *Cæsarem*, inquam, *proditum & consilia ejus intercepta esse.* Ac quanquam haud difficulter militum præcipuè favore retentus locum suum defendere potuisset, maluit tamen cedere voluntati Cæsaris,

Caesaris, quàm invitis Proceribus in dignitate vivere, non oblitus, gravissimum clientis delictum censeri, si contra superiorum mandata nitatur. Quin potius id agebat, ut doceret æmulos suos, scire se non minus honestè obsequi majoribus, quam generosè imperare suis. Existimarem tam promptum obsequium in tam arduo lapsu excusare potuisse metum è potentia ipsius armorum tunc passim grassantem. Quomodo enim machinari adversus fidei sacramentum credatur, qui protinus tanto splendore non invitus decedit? Quin imò observatum est, hilarius eum sub id egisse, quod ex positu siderum, cui arti multum deferebat, intelligere se crederet, *Magnum Caesari malum impendere*. Idque maturare augurabatur deficientes ad Svecum Arnhemium, Hoffkirchium, cæterosq; non infimæ classis tribunos. Horum enim virtute Tillianam superari, fraudesq; Bavari (quì potissimum WALLSTEINIANÆ ruinæ auctor habebatur) detegi posse, credula vindictæ cupidine sperabat. Interim Pragam secedit, vitam privatam domi suæ agens, quàm amplissimam ornatissimamq; paulò antè sibi extruxerat, non otiosam tamen; sed studiis Mathematicis, ut olim animi, sic nunc laxamenti gratiâ intentam; Archimedis exemplo, qui radio suo operatus tam alte animam infixerat, ut strepitum expugnatae urbis vix animadverteret, documento autem

autem posteris, studiorum fructus utramq; fortunam sequi, nec ullum tempus delitiosius sumi, quam quod bonis literis vacavit aliquando. Fides tamen ubiq; & si quem prævideret casum, vel infimo militi Cæsaris prænuncians, vel si quem audiret, significans, ut vel sic puderet, consilii illos sui, qui tanta fide imperium privassent, imò ne invidus quidem consilio dando si quo posset lucrari pristinam dignitatē. At quam revertendi spem ipsi excitabat non minimam dissentientium Electorum circa novi Regis Romani optionem, ipsius Cæsaris & Hispani hiatus, quorum hi serò nimium præcipitis consilii comitem poenitentiam indepti, verba sibi egregiè data miserrimè perspexerunt. *Nec enim in magnis tam facile revocatur error, quam committitur.*

§. 67. Arma interim Suecus feliciori progressu indies circumferebat. Et Italiæ motus parum Austriacam spem promoventes, quanto ab hostibus WALLSTEINII metuebantur, tanto ab ipso efferebantur acrius, tanquam sæpe diuq; prævisi, donec ad extremum pugna Lipsiensis imminuta vehementer Tillii existimatione latas Germanæ cladis portas aperiret, & solamen WALLSTEINII doloribus afferret, idq; non leve. *ut ut enim magna vis est timoris, major irarum nobilium, vincitur tamen utraq; validis invidiæ lacertis salutis suæ prodige*

dige, dum infesta æmuli obsistat conatibus. Unde fiebat, ut WALLSTEINIUS, licet Praga ab adventante Saxonis milite pulsus, & aliàs clade prædiorum suorum, non unà multatus spes nihilominus suas foveret constantissimè, redeundi ad pristinum decus, à quo se alieniorem eò magis ostentabat, quò viciniùs occasionis malum eidem viam intelligebat spernere: *Non secùs ac pilarum vento distentarum ingenium esse solet, quæ quo fortius humi affliguntur, quasi abjectæ, eò in altum resultant sublimiùs, testes utrobiquè suæ levitatis. Etsi aliòquin non vulgare ad fortunam momentum confert, scire animorum fluctus, comescere, nec retegere semper ulcus vindictæ.* Quod ille prudenter in tantis Imperii calamitatibus dissimulabat, mediùs inter utrumquè, ut & fugere videretur illum, ex quo ceciderat, locum, & dolere simul publicam fortunam, qui plangebatur suam.

§. 68. Tandem ergò memoria eos subire cœpit WALLSTEINIANI roboris, qui imprudens consilium suum fuisse ob eventum victoricium Suecorum armorum admonebantur, ritu humanæ vicissitudinis, quæ occasionem sæpe dat virtutis miseriam emergendi, quam velut infortunium publicum conqueruntur alii. *Nec minus in vitio jacent magnatum mores, quorum ingenia*

*ingenia ad magnorum virorum amores non nisi
 magnis urgentibus incitantur malis. Igitur ut
 imperiosa est necessitas datum Maximiliano
 Comiti WALLSTEINIÆ fuit de revocando
 Duce negotium, cuius ipse nepos & cognatus
 esset, ac tunc commodum stabuli Regis Hunga-
 riæ supremus Magister. Hic enim maxime
 idoneus fore videbatur; Felix, quippe patru
 commodis futurus, qui tueri sine illo fortunam
 æquè securè vix valeret. Neq; is detrectavit,
 sed Viennâ Zenam versus oppidum Moraviæ
 iter flectens, quò se contulerat Albertus, ser-
 monum ansis brevi circuitu in id, quod volebat
 delapsus, quid aula, quid Cæsar, quid senatus
 cuperet, exposuit. Nihil ille, novo plane
 nuncio commoveri se passus, ne erga tam pro-
 pinquum quidem & fidelem paucis respondit:
*Didicisse nunc se satis suo cum dedecore, tu-
 tius vivere eum, qui à Principe non incurioso
 tantum, sed & persecutore beneficiorum agat
 remotus. Fecisse se, quæ servum bonum
 decent, subegisse Cæsari Imperium, fugasse
 metus, stravisse hostes, firmasse Austriacis co-
 lumnas, nunc id se præmii loco reportasse, ut
 cum ignominia ab exercitu dimitteretur, què
 inter mortis & invidia pericula toties pro sa-
 lute Domini stetisset. Scire equidem se, ad-**

G 2

versus

versus injurias Principum remedium esse, vetera suscitare ut studeant odia, quò speciosius opprimant, verum erga benè meritos sic affectos esse nondum intellexisse. Diu itaq; inter assensum & repulsam anxius prælagus veluti futuræ olim necis & represso ambitionis æstu in hæc desit. Præstare extra veteres metus consistere, quam novos iterum subire. Cumq; se in præsens invidia carentem beatam prorsus vitam degere sentiret, decrevisse ad extremum è longinquo spectare fortunæ Cæsaris exitus. Felix omninò futurus, si constanter dixisset, nec à vano gloriæ oblata splendore præstringi sibi oculos tam citò permisisset. Ditissimi quippe mortalium sunt, qui ambitione carent, nec est vita clarior, quam quæ vitæ perfregit nebulas.

§. 69. Sed ille exorari se cum nepotis sui precibus tum crebris ab Imp. literis, & Legati Eggenbergii monitis postremum passus, ad pristinum onus suscipiendum animum & consilia sua applicare denuò instituit, non minus magno redonandus honori, quam periculo. *Nam Principes quoties ad subditos rogandos descendunt, odia primò sua, mox & damna indicant. Æquè enim norunt vires suas in indignando, ac foeditatem in supplicando commissam. Quare Cæsar tunc etiam cum preces ad WALLSTEINIUM funderet, commoda sua potius, quam illius*

illius honores adoravit. At ille conditiones
tàm arctas pactus, durasq; fuit, ut nemo non ju-
dicaret: *Dominum se pariter ac Ducem cupere.*
Volebat enim, ut liberrima cum potestate ad su-
premum belli imperium redire sibi liceret, ita
ut nec cujusquam mandata præterquam Cæsaris
unius sibi sciret esse sequenda, excluso etiam
Hispaniæ Rege; cujus ministri etsi initio con-
sultius fore contenderent, ut Rex Ungariæ loco
ipfius eligeretur, tamé postea eò adacti fuerunt,
ut non sollicitare tantum ipsum cogerentur ad
adeundam belli summam, sed & Rex ipse, usus
ad id Patre Quadriga, Hispano Capuccino, LM.
unciales menstruos eidem, incredibili rerum
orbe sic mutante, polliceretur. Quæ omnia
solemni consuetudine magnatum, qui, ut ma-
jora lucrentur, ad nonnullos errores connivere
amant, à Consiliariis transmissa silentiò fuere,
rata omnia habentibus, quæ ad permovendum
animum offensum facere posse autumabant.

§. 70. Sic ergo ad pristinum munus re-
versus, ad IV. menses tantum formulæ à Cæsare
sibi propositæ subscripsit, fortassis ne plus susci-
peret, quam cui mederi se posse videret, sum-
ma interim diligentia in colligendis iis usus,
quæ ad impediendos Regis Victoris & fama
sua plus, quam tormentis bellicis orbem ter-
rentis, progressus conducebant. Convocatis
igitur omnibus Præfectis, superioris ordinis
Tribu-

Tribunis, cæterisque cohortium Ductoribus, declarare cœpit oratione gravi non minus & magna, quàm plena studii & voluntatis: *Resumere se Autoritate Cæsaris onus ipsis non incognitum, redire autem veteri erga suos affectu, nunc ab ipsis hoc unum se solummodo postulare, velint & ipsi pariter pristinos spiritus, egregiamque in Remp. Rom. virtutem suam resuscitare, & quem erga ipsum semper gessissent animum promptum ac fidum denuò exsertum, dare, ut qui nunquam quicquam intermisissent eorum, quæ cum imitando probi Ducis mores, tum succurrendo vita pariter ac fortuna auctoritati ejus, optimorum militum nomen posteris commendare soleant. Fore Deo sic ferente, ut sub cujus olim ductu non infelicia arma gestassent, imposterum quoque nec vel inulti caderent, vel inglorii triumpharent.* Secuta alloqvium vox & obsequii signa non una fuere.

§. 71. Ipse quoniam multitudo Ducum in bello, præsertim inexperti si sint, potius turbat quàm regit militem, utque compendium sumtum faceret, neve in eos conferret pecuniam, qui militiam sectari quidem avidi; Ceterùm vitâ exprimere ignorant, ad Veteranos suos Tribunos fructum cum onere contraxit,
negotio

negotio iis dato juxtà argentum ut pro sua experientia & exercitio militem legerent, utilem potiùs quam elegantem. Nonnullis, qui hactenus equitum ductores fuerant, peditum turmas, & peditum tribunis, equestres cohortes adjecit, tergemino prudentiæ specimine. Nam & hoc modo quantum unius tribuni stipendium erat, comparavit, & novitium exercito militi immiscuit, denique se ipsum levavit magna molestia obeundi semper ejus tentoria, cujus ut novi Ducis imperitiæ fidere nondum poterat. Exemplo autem cæteris copias recturis, ne vel nimium exercitum paucorum curæ, vel justum ignaris regendum committant, studeantque, parci potius audire cum prudentia, quam sine delectu profusi.

§. 72. Efficiebat quoque animandi exercitus specie, revera autem (quod prudentioribus videbatur) ad devinciendos militum affectus, ut amplissimæ potestati Cæsar etiam liberam adjiceret sibi conferendorum ex arbitrio honorum, præmiorumque; iis, quos præ cæteris rem fortiter gessisse crederet. Grande profectò postulatum & cujus moles metum omnibus generosis incutere videbatur, repulsam ferre non edoctis, cæterum admirabilis lenitas Cæsaris, qui contra omnium Principum morem, Autoritatis nervum, gratiam liberalitatemque; in ministris manus consignabat. Quid enim hoc a-

liud erat, quam manus ligare sibi regias, & laxare sceptri sinum seruo suo, gestaturo id eo firmitus quo plus gratiæ in subjectos distribuere valebat. Sed & eo procedebat Albertus, ut à Cæsare, quamvis non adeo apertè contenderet, ne in aulam Reginae Hungariæ eorum aliquot admitterentur, qui cum ipsa eò accesserant. Id verò moliebatur potissimum Germanorum ope, quibus inculcabat, non leve dedecus esse, civibus exclusis, peregrinos in honoribus volitare, & quidem tribunitio spiritu, suspicaces, & privatae gloriae tantum intentos. Cum primis id Principi Eggenbergio exprobravit, primario Cæsaris ministro, cuius fidei non parum credebat, non satis tutam ostendens esse illam artem, qua exterorum consiliis Cæsari obtrusis, nonnulli aliorum incrementis viam intercludere cogitent, quin & liberae audaciæ plenam hanc vocem addens: *Non conquieturam Germaniam nisi sub clypeo civium suorum. Nec enim defuturos patriæ vindices, quos fugere hi cuniculi vix queant, quo minus videant id agi ab extraneis istis, ut paulatim omni ad se devoluta autoritate, captisq; auro potentiorum animis, inq; partes suas adductis, objectis deniq; altissimis fastigiis toti domui Austriacæ manum propediem injiciant, extremum id se monere*

monere testatus, videant fide ac juramento Principi suo obstricti, ne quid capiat majestatis exterorum admisione detrimenti. Hæc ad amicum, cætera altum dissimulans, quæ securiori momento reservanda esse non obscure colligebat.

§. 73. Accidit tamen, ut dum ille Cæsaris decus tueri tantopere simulabat, alii contra suspicarentur fieri. Ideoq; post IV. illos, in quos consenserat, menses operam ipsi dant, ut Regi Hungariæ actis Alberto pro reformato exercitu & suppeditatis Imperio sumptibus gratiis summa belli committeretur. Hæc fini multa congeriebant, *intutum esse gladium maxibus offensi tradere, injuriæ tenacis, Alberti spiritus esse superbos & consilia immodica, indecorum esse Cæsari leges accipere ab eo, cui ipse debuisset figere. Non initia solum sed eventum potius ante oculos habendum esse. Nec diu duraturum imperium esse, quod auxilium non nisi ab uno sibi ferri posse fateatur.* Quæ omnia etsi speciosè satis dicta, perumpere tamen latentis odii pellucentes umbras non valere. Ad eò ipsa tunc veritas suspecta fit, cum ab emulo proferatur, rectiusq; gessissent læsi suasores, si ad imaginem montis Olympi consilia sua finxissent, qui verticem suam nec ventorum flatibus nec vicibus pluviarum subjicit. Magno igitur nisu obsti-

tere amici WALSTEINII, qui spebus non exiguis tumidi, quas magnitudo fortunæ ipsius indices lætabat, gravissimis argumentis evicerunt, *quanto cum discrimine sit conjunctum, tantum Ducem, eo præsertim milite, contemnere, qui cum jam antè singulari in illum feratur benevolentia, tum inopina illa mutatione perterritus à signis sit avolaturus, quibus sua sponte sub isto Imperatore adherere nuper constituisset. Nec minus herculè discrimen subire, quos tantæ novitatis auctores fama esset detectura, rupturum obsequii vincula exercitum; Cessuros complures, indignitate facti offensos à castris, pactisq; cum hoste initis causa publicæ incommoda allaturos esse non vulgaria. Præ cæteris id objectum validissime fuit, Favorabilius Succii Regis gloriæ consilium nullum inveniri potuisse, quippe qui eò sit futurus triumpho major, quo eminentiorem par hostis perdidisset victoriam. Ita autem fore necesse esse, si Rex Ungariæ ex ipsorum mente copias educeret. Ita utrinq; altercatum, donec illi in horum concederent sententiam, sapientiam esse rati, parere præsentibus & succisis viribus cedere opinioni.*

§. 74. At ille exercitu ad XL c. armatarum sub fortissimorum Europæ ducum signis
intra

intra IV. menses adaucto firmatoque, ostensus invidiæ, plus solidæ gloriæ, quam vani splendoris amantem se & fidelem Principi perdurare semper optasse, non destitit aulam pulsare, & de quiete sibi sua permittenda interpellare, idq; eò constantius, quo certior erat frustra se laborare: Cæterum, famæ semper conciliator, quam in majus ubiq; attolli tergiversando videbat. Duriusculum enim adversus Comitis Maximiliani, qui iterum Zenæ ipsum compellabat, Principis Eggenbergii, Comitis Weidenbergii & Baronis Questenbergi, cæterorumq; Procerum aulæ Austriacæ preces & monita diu se gerebat, tandem ne subrusticus nimum fugiendo videretur, quo tam splendide toties oblatum jam erat, vinci se & molem totius belli in se revolvi, ea tamen lege passus est, ne ulli alii, quam sibi soli pareret.

§. 75. Novi laboris auspicia fuere induciæ aut pax certè cum Electore Saxone. Nam ut non ignorabat, damnosissimum victoriæ genus esse, quod à cive reportatur, ita nec conversam in intima quæq; mentis ejus aciem effugere poterat, Cæsaris crescentis studium labefactari nulla parte validius posse, quam ista, ac proinde pacem arctè & diligenter, paratio ad id usus Arnheimio, Electoris supremo belli Duce, cæterisque illustrioribus ministris urgere non intermisit. Nec sefellisset ipsum eventus, nisi continua

tinua Suecorum felicitas, & suspecta nimia illa cum Saxone amicitia Cæsareorum animos aver-
tisset. Augebat malum, quod Protestantes ur-
gerent securitatem religionis, quam ut satis fir-
mam dare W ALLENSTEINIUS posset, non
vanè metuebant. At ex adverso vehementer
augebat conatus iste turbarum studiosos, qui,
etsi necessitate sic ferente, non ingratum illum
sibi restari cogarentur, nonnunquam tamen, *ut*
est difficile odia è fide orta perpetuo premere,
non ad extremum dissimulare virus querela-
rum ulterius potuere, quo minus in acerbas la-
mentationes erumperent publicè. Ac præci-
puè sacer ordo, qui in Consilio Cæsaris non le-
viter se offensum indicabant, adductis cum in-
finem his præcipuè argumentis: *Quod pacem*
in Imperio conscientiarum licentia emptam pa-
rùm durabilem fore judicarent, quod fides Ro-
mana omnibus commodis seculi præferri debeat,
quod sublato religionis velo bonorum ab Hæreti-
cis ad se derivandorum spe exciderent. Eaqu; om-
nia adductis ex conscientia legibus argumen-
tis, & ardenti divini cultus studio miris modis
confirmabant: *Imperii fatum in manu Dei esse,*
cujus gratia pejoribus longè ominibus subtra-
ctum olim fuerit, salva religione, in eundem re-
clinare animos debere etiamnum. Quibus ver-
bis animum Cæsaris jam ante in sacra proni ita
inflexere, ut posthabitis quibuscunqu; commo-
dis

dis aliis in ipsorum partes transiret, ægerrimè
 id ferente W ALLENSTEINIO, qui totus in
 eo persistebat, ut pacem Saxoniam obtineret,
 multum ex ipsius sententia tracturam secum in
 partes Austriacas emolumentum. Quapropter
 & acerbius paulò in adversarios loquebatur,
 tanquam viros à publico alienos, opum cupien-
 tes & ambitiosos ac propediem Numina futu-
 ros in orbe, & mortalium excessuros sortem, si
 sic pergant; addens, (quod profectò mirabun-
 tur posterì,) *libertatem Conscientie anti-
 quum Germania privilegium esse, cui à Cæsa-
 ribus hætenus derogatum nihil sit, & cui ve-
 re religionis assertores favere semper debeant.*
*Eos autem, qui pinguibus vitæ deliciis in s-
 perbissimorum palatiorum claustris tantum
 incubant, quiq; sub fictæ alicujus pietatis tu-
 nica crassam civilium persuasionum gloriam
 occultant, magis decere ut errantium Consci-
 entias doctrina & vita acquirant, quam ferro
 & armis obturbent. Quid verò aliud esse
 queat illa humanarum mentium tyrannis,
 quam audacissima judicii divini invasio, quod
 æternis suppliciis jam nunc impios terreat,
 pios coronis invitet?* Inter has altercationes a-
 nimus à pacis cum Saxone ineundæ consiliis
 nunquam divertebat, quin potius multo quàm
 ante

ante vehementiùs nunc hos nunc illos pertentando in id studium incumbere pergebat, certus, *ut solet ferè omnia humana industria perdomare*, votis suis finem responsurum esse non infelicem.

§. 76. Utq; hunc eò citiùs assequeretur, ac quod magnorum conatum initia magnos semper attollant, citato itinere copias Pragæ admovet, tum ad conciliandam armorum suorum primordiis novam expectationem, tum vel maximè ad excitandum in faciliores conditiones Saxonem; Sic enim ratiocinabatur, *attracta Saxonia vires Austriae plurimum surrecturas, Suecorum vero collapsuras esse, quas mox unita Germania, & cum Cæsare conjuncta expellere in proclivi foret, bellumq; severius agi oportere, dum pacis consilia miscentur, quippe quibus momentum accedere, ex quocunq; armorum eventu soleat.* Igitur ejecto ex Bohemia Saxone celerrimè se Sueco obviam movet hærenti tunc in Franconia, & Bavariæ imminenti, quam fama erat non minus famæ hostilis amplitudine quam felicitate successuum inter gravissimos metus concuti. Neq; enim diffitetur seculum, in virtute Regis Gustavi Cæsares & Alexandros quasi renatos videri, sed potissimum tamen fortuna ei favit, ut quæ ipsa quodammodo explicare signa & rotâ suâ currus triumphales Suecorum impellere videatur. Unde fiebat, ut so-

ut solo Rex nomine gentes expugnaret, & per-
terreret populos, ad quorum limites ut arma
admovebat, vel viribus statim vincebat, vel mo-
rum suavitate intrabat provincias non miles sed
Victor, non ut occupans, sed ut possidens.

§. 77. Quod præter multorum opinio-
nem ab Alberto factum. Credebant enim fe-
rè ubiq; omnes memorem nunc veteris injuriæ
à Bavaro sibi illatæ, & æmulationis Tillianæ ca-
lamitatibus ipforum insultaturum. At ille, quo
erat propenso ingenio ad rarissima omnia, co-
ram toto orbe gloriosiore viam eligens, o-
stendebat cunctis, *privatas injurias aliorum vi-
ribus ulcisci, vulgaris tantum mentis signum es-
se, candidum vero ministrum tunc quam optimè
Principi suo inservire, cum nihil largitur sibi, nec
fas & jura sinere, ut privatae vindictæ lictores,
publici exercitus constituentur. Domesticas vi-
xas non æquare publicorum præliorum pericula.*
Ideoq; Altringero copiisq; aliquot Bavaricis so-
ciatus, quas præmiserat ipse, mox tota cum mo-
le exercitus sui sequebatur. Tribunis autem Du-
cibus Bavaricis, etsi aliis congressibus parcissimè
omnem tamen humanitatis & familiaritatis affe-
ctū ubertim declarabat. Atq; ita unitis nunc vi-
ribus fortior Regis Sueciæ plenis victoriæ passi-
bus nullo obnitente à Balte ad Danubium usq;
progressu incredibiles cursus prope Norimber-
gum in antrum arctum redegit, (quod Rex ipse
factum

factū non nisi summi Imperatoris esse factū est,) frenatisq; audaciæ conatibus, observatisque hostium consiliis, & tandē prælio Lucensi, illo, Rege sub suis oculis ac signis, qui jam plures gestare palmas, quam ducere milites, pluresque numerare triumphos jactabat, quam prælia, interempto vitam Austriæ, Germaniæ spiritum, Italiæ, animam sibi vero apud suos nomen, apud æmulos decus reddidit, atq; circumfudit, omnium iudicio summus Imperator, qui supremum sui ævi superasset.

§. 78. Sed comitata excelsam cum fortuna ejus gloriam invidia Hispanos mox intravit, qui aleam feliciter jactam in suam quoque ambitionem conversuri, ne vel impares huic facinori vel minùs cupidi Austriacorum fuisse viderentur, obtulerunt suam quoq; opem Cæsari in Alsatia recuperanda, proposito eam in rem Duce Feriæ. Quod & Cæsari non displicuit. Venit ergò ornatus ille Ducis supremi Regis Hispaniarum titulo ad subigendam Constantiam & Brisacum, indignum ratus, si post tot montes superatos infra WALLSTEINIUM censendus foret. Pupugit ea fraus animum Alberti eò acriùs, quo magis assiduos honorum suorum subsessores in eo esse videbat, ne solus ipse vel apud Cæsarem in pretio vel apud posteros in laude floreret. Dolebat res à se gestas socio externo contaminari, conqverebatur fructum

etum periculorum suorum rapi ab iis, qui nulla
 meriti pars fuissent. *Eo nunc navigare illos in
 portu, cujus ille in alto fregisset glaciem.* Ex his
 cineribus erupit ingens illa in pectore Alberti
 flamma tot suspicionum, consiliorum artiumq;
 quas ille ad disturbandas æmulorum machinas
 subinde versabat. Haud scio tamen, utrum
 tutius isto rerum statu Cæsari arbitrari debeam,
 Ducemne illum alienare, cujus per fatum Re-
 gis Imp. Romanum in securitatem nuper erat
 restitutum, an verò repellere aut saltim contem-
 nere nationis exteræ potentissimas opes in auxi-
 lium adventare promptas. Hoc interim liquet,
*plagam nullã altius in generosas mentes descen-
 dere, quàm quæ honorem fecit. Certè interfector
 alienæ laudis, latroni par est.* Et quantum sua-
 rum facultatum, quoties vitam fortunamq; su-
 am WALSTEINIUS pro salute Cæsaris profu-
 derat, ut longè alias gratias meruisse etiam in-
 gratis debeat videri? Ipse autem alto omnia
 corde premens, nihilq; non egregii vultu simu-
 lans, vel ne parùm fidus erga Cæsarem esse ac-
 cusaretur, vel, ut incommadaret Hispanis, Al-
 tringerum Duci Feriæ obviam misit, quî cum
 vires jungeret, cui & ipse signa iuculenti favoris
 præbuit, ubiq; præ se ferens, Consilia Austria-
 cis salutaria. Cum primis ad pacis Saxonicæ
 cogitationes reversus, operæ nulli pepercit, e-
 amque postremò expugnavit, & præjudicio &
 H periculo

periculo non contemnendo adductis; *subsidiarios exteris magno adesse numero, arcana rimari civium Germaniae, altissimaq; munia indigenis passim praeipere.* Austriaci contra securitati Principis innixi, passim disserebant, *parum fidei sperandum esse à semel offenso, nec à semel laeso praeter lesionem expectari oportere.*

§. 79. His ultrò citroq; sic cadentibus simulac aliquantum Ducis Ferae existimatio clucescere inciperet, emicuerè paulatim scintillae simulationis WALSTEINII. Nec enim ita regi cineres illius poterant, quo minùs vel exiret in radios, vel exhalaret in fumum. Quæsitæ igitur variæ querelæ, *non satis cautè Ratisbonam neglectam, nec mandata aulae diligenter habita, ali similtates cum ministris, cum Duce Bavariae & aliis.* Hinc evagata pestis absumsit postremò eum, qui ad Imperium summum evectus imperia ferre amplius non poterat. Statuit ergò sacri ordinis & Hispani ministri livori cedere, & sponte loco abire, atque ad pristinam quietem & otium reverti, dubium an præfagio finis infauti, an verò ut Cæsari & æmulis ostenderet non honoribus se capi, nec ambitione regi, sed sola fide in dominum & studio in Remp. An quod speraret, durissima necessitate futurum esse, ut longè honorificentius retineretur, vel quod putaret tot fidos socios Germanorum pariter ac Bohemicorum Tribunorum

norum

norum vix alii parituros. Priùs autem quam
 obsequeretur sibi, cum Ferzica & Ilóo cognato
 altero, hoc autem familiarium præcipuo aliisq;
 pluribus communicare aggreditur, à querelis
 exorsus, *autoritatem suam contemtim conteri,*
herere se, quo pacto sit tuendus locus, si ma-
neat & vindicet, perfidia notam incursum,
si deserat, in miseriam collapsurum esse. Do-
lere se adversus prædictas sæpe insidias tam,
fuisse incautum, nunc se experiri quid attra-
xerit dissensu suo, quando bona nonnulla sa-
cri ordinis cupidini subtraxisset. Magno suo
se malo addiscere, ludum nullum errores suos
mortales edocere meliùs quam res adversas.

S. 80. Consternati sermone insolito Du-
 ces, simulq; suæ fortunæ procul dubio cum Pa-
 troni forte collapsuræ metuentes, petie-
 runt, *ne se desereret, sed constans sibi caveret,*
ne cedendo inimicis diu sperata gaudia in si-
num ipsorum effunderet, neve crederet, Cæ-
saris res suo discessu vel alterius aptiori ser-
vitio grandescere posse. Præsentissimam,
hanc ruinam ipsi fore potiùs. Nec enim vel
se, vel ullum paulo generosiorum alium obtem-
peraturum Hispano, vel alii cuicumq; peregri-
no, Cæsaris culpa non hæc in ipsum, sed Hispano-

norum technis geri, nec sacri ordinis partem carere suspicione, aliosq; exteros nonnullos id agere, ut ipsius ruina gradum sibi ad honores aperiant. Res ab ipso gestas prostare in aprico Europa, loqui pro se vel tale WALLSTEINI ipsam fidem posse, quin potius id agat, ut terrore sit æmulis, ipse supra metum, adesse in id exercitum cupidissimum, fortassis & populos totamq; Germaniam nauseare ad consilia & actiones exterorum, citius pellendos esse Germaniã, qui non sint cives ejus, quam ut ipse Imperii assertor tam turpiter recedat. Sin ire decrevisset non solum abiturum; Comites se fore quocunq; juberet, nec ignavos illos, sed pro salute illius contra quemvis calumniatorem sedulo staturos in acie.

§. 81. Commotus oratione WALLSTEINIUS, & hinc cum affectu erga Dominum, inde cum odio erga æmulos utrinq; colluctatus, cautiora nihilominus elegit, & beneficiis hostem vinci posse doctus, liberalem se in æmulo- rum suorum socios præbere, dare spartas iis locupletiores, evehere supra alios suorum, favere quibus poterat modis occepit, amicis id ægrè ferentibus aulæ mandato se excusans. Quo fiebat, ut non Duces & Tribuni tantum inter se odiis committeret, sed & eorum qui partium studiosi

studiosi erant, voluntates frenaret, quo in ipsum minus incurfaret invidiae. Has cogitationes auxit Medicus ipfius Flandro-Gallus *Iustus streperius*, qui fub id purgandis humoribus potionem afferebat, is quod Hispano fubditus efferet fufpectus habebatur. Igitur oblatus ipfe iuffus effer haurire, fparfumq; in vulgus tunc forte fuit, *fieri id, ut conffaret pluribus, bene meriti vitam infidiis circumveniri, emulosq; id agere, ut egregia tanti Ducis fervitia turpi fine remunerarentur.*

§. 82. Interim *Illous, Tersica, Kinskius, Julius Henricus Saxo*, & complures Germani Bohemiaeq; Duces in conventibus fuis partim exterorum quorundam & facri ordinis molitiones fugillare, confiliaq; inire de afferendo Imperatore fuo, *WALSTEINIUM* praedicare, calumnias fubiffe, non nifi praclare agendo, fe vero quaecumq; pati cum illo paratos effer dicere, qui Austriae fceptra vindicaffet, opes fuas pro Caefare effudiffet, vitam pro Domino projeciffet, qui fidem rebellantibus Bohemis fervaffet, Silesios in ordinem redegifset, Transilvanos domuiffet, Turcos proffigaffet, debellaffet Ungaros, liberaffet Moraviam, tot trophaeis infignis, tot bellis felix, tot praeliis clarus, confilio validus, manu promptus, conflictu propè infuperabilis miles, feculi fui mores fuperaffe videatur. Additum & illud fuit, efferiffe fplendidiffimo

Imperatoris titulo non invitum, non merentem, sed ne cogeret cum æmulis, cum invidia, cum fortunæ suæ blattis ac tincis altercari, excepisse illius abdicationem mille infortunia, prolapsa consilia Cæsaris, emarcuisse victorias, concidisse militum animos, patefactam exteris Germaniam, copias vel imperitis Ducibus distractas vel avaris exhaustas esse. Hos fructus esse consiliorum, ubi paretur eorum instigationibus, qui nesciunt inclarescere nisi per ruinas innocentium. Imprimis jaçtabatur, quo fulmine pugna Lipsiensis intonuerit, quæ solitudo consilii, tenuitas ærarii, miseria provinciarum hostibus immissa, contra quanto otio cives, pace gloria, triumphis Cæsar maçtatus. Neque vulgariter eveçta in resumenda exercitus cura. Alberti facilitas, non duxisse pudori sibi redire ad munus à quo foedè esset rejectus, atq; ad militem, qui degenerasset, ad ærarium quod exhaustum, ad hostem, cujus robur fortissimas Austriacarum opes tunc propemodum confregisset. His sermonibus ab orco revocatae tunc multorum occultaes spes reviviscere inceperunt. Austriacis contra in privati commodi, & seditiosarum vocum occasionem pleraque rapiantibus.

§. 83. Præcipuè directa acies accusatio-
nis in externos illos, tunc rerum potientes, quod
neminem extollant, nisi quem simul præcipi-
tent,

tent, quod pleraq; omnia sua fraudibus & dolis adornent, quod inhonestum nihil ducant, ex quo fructus speretur, Principis probos & faciles mores pravis eorum ingeniis contaminari, reticeri apud illum vera, explicari speciosa, & quæ maximè oportuna occurrant, occludi aditus interiores, libellos supplices consiliis peregrinis parùm utiles suppressi, avelli à colloquio Cæsaris, qui sanis suggestionibus in viam errantē reducere fortassis, reiectisq; ipsorum nequitia avaritiq; consulere publicæ utilitati poterant; fidos ministros premi, perfidos & participes consultationum clandestinarum ad pinguißima munia evehi. W ALLENSTEINIUM idcirco averti atq; seponi, quòd norint ipsum, molitionibus istis inimicum, & obstantem exteris, quò minus ad dominatrices sedes Germaniæ penetrent propediem.

§. 84. Hæc singulatim considerata, opportunisq; remediis egentia passim tunc ab illis inculcata audiebantur. Et ne quid causæ deesset, etiam ad sacrum ordinem transitum, tunc fuit, cui crimini dabatur, *titulo ac specie conscientiarum velare pessimos quoscunq; conatus, ex aliorum ac exercitus quoq; divitiis lucrum sibi quærere, fallere lenociniis verborum, mel ore, venena pectore gestare, religionem aliis, emolumentum sibi fingere, adversari mundos ut attrahant ejus medullam.* Hos tales Alber-

tum non ferre, quòd ipse mores eorum non ferat, nec pati velit, ut ipsorum cedant commodis, quæ debentur militi, quippe qui lautissimo otio vitam transigant, seruitium DEI ostentando mundi opes ibi acquirant, ordinumq; suorum (quos appellant) incrementa, donec nunc eò ascenderint opulentia, unde in valle paupertatis Dominum constituent in carne ambulantiem. Extare familias non paucas, quarum facultates ipsi ad se iniquissimis legatis contraxerunt, ut non immerito videri queant *renunciare* suis, quæ sæpè sunt exigua, quò commodius involent aliena, quæ sunt grandiora. Hisce & similibus eorum consiliis quotquot non sint faventes eos ad extremum persequi, nec antè conquiescere, priusquam & suos evexerint, & subverterint adversarios, tamdiu consilia cogi, secretasq; confederationes passim in aulis ali, donec ad optatum pervenerint, hoc sine penetrare conscientias, ut Magnatum arcanis exhaustis sua firment rectius. Quid ergo mirum, si cum ipsi tales sint, Ducem illum odio habeant, qui nullos minus quàm tales amet, utpote quos nunc tandem non pudeat integra oppida palatiaq; sibi à Cæsare emendicare, quæ sanguine militum ipse vix occupasset.

§. 85. His ultrò citroq; examinatis illuc omnes postremò ivère, *periculi plenam fore*
abdi.

*abdicationem Imperii sui, quippe quo militante
 ipsi non tantum felices sed & securum haecenus
 stetisset Imperium. Igitur ad ipsum tunc for-
 tē pedum doloribus attritum adeunt, expo-
 nuntq; auditione percepisse consilia ejus de de-
 ferenda exercitus cura, id verò nec fidei respon-
 dere Principis, multò minus Imperatoris, istam
 verò secutos se fuisse huc usque, ac nunc roga-
 re, ne se omni fide, ac meritorum genere ipsi
 obstrictos cognitosq; tam ignavè destituat. Ad
 hæc Albertus solita verborum paucitate respon-
 dit: *emulorum asperitate huc se compulsus vi-
 vere, quorum perpetuis insidiis ulterius fortu-
 nam suam exponi pati amplius nolle decrevis-
 set; simul ostensa corporis imbecillitate, hanc
 inquit, mercedem præstita Cæsari militia mea
 tulit. Ampliores honores quorsum affectem,
 tribuni, qui filios hæredes non relinquo? Ego
 autem rebus gestis & virtute mea me invol-
 vo. Cætera castris debui. Huic me iterum
 ad summam belli obstrinxi, huic impensum
 quod supererat roboris non modò sed & opum
 mearum? Deniq; his me fidemq; meam pro-
 bare volui: Nunc id reporto, ut Legatus Hi-
 spani & Cæsaris confessionum minister aper-
 tis odiis me insectetur, auctoritate sua, qua
 apud optimum Principem florent in meam**

H 5

ruinam,

ruinam indefessis studiis abutentes. Quid vestro iudicio, Tribuni, superest aliud, quàm cedere furori, & committere Cæsarem fidei ministrorum aliorum.

§. 86. At illi acrius instare monitis, constaret sibi, nec cederet livori imbellium, qui triumphasset sæpe armatorum odia, videret, quàm impari fine sit desiturus, qui tot præliis victor, tot plausibus coruscans in pugna invidia succubiturus esset. Jam toties repudiatis summis belli dignitatibus constare omnibus de fide ejus posse, atq; adeò Cæsarem ipsum testem habere rei præclarè gestæ, quando tanto opere ab ipso ad resumendas hæc curas erat invitatus. Magis decere, ut oculos in publicum commodum reflectat. Ibi illo abeunte Imperio salutem, copiis fortunam bello successum, Austriæ victorias collapsuras esse. Exterorum illorum molitiones indies rimas agere latiores, per quas cives Germaniæ introspicere penitus al laborent, jamq; propediem visuros ipsos quorsum sint erupturi. Addunt, clavum clavo, & insidias odiaq; pari armorum genere proterenda esse. Et ne quid addubitaret, paratos se adesse exponunt, Fidei suæ promissa scripto confirmare, si quid harum rerum adversus ipsum pergerent machinari. Ferebant tunc fama, electam hanc à Tribunis consultandi viam esse,

am esse, non ut quicquam adversus Cæsarem tentare videri vellent, sed ut ii qui in aula consuebant, deos ad sanio rem mentem traducti, WALLSTEINIUM tranquillarent, ipse autem Cæsar periculo ex priori imprudentia facto optimè meriti Ducis famam luculentiori favore protegere inciperet. Quicquid rerum harum tandem sit, non crediderim, facile tanta ausuros Tribunos istos fuisse, nisi magnitudini Ducis sui innixi vel ipsi Domino cornua obvertere sese impunè posse perspexissent. *Tantæ nimirum, ô Principes, molis est, semel erectum plus nimio, semel velle præcipitare.*

§. 87. WALLSTEINIUS ergò certus jam suorum erga se constantiæ statuit Concilio Procerum Aulicorum animi sui motus per literas aperire, ex contemptu Autoritatis ac officii sui non immeritò, ut ipse interpretabatur, ortos, quibus demonstrabat, quanta fide, industria, ac constantia hætenus Cæsari obsecutus fuisset, nunc verò quid æmuli ipsius rependerent quotidie, id verò non in obscuro esse, cæterùm scribere ista se non alio fine voluisse, quàm ut viderent æqvitatibus amantes, *quo angustiarum compelleret spes illustres invidia.* Literis hisce si quam fortè incurrerent inclementiam, succenturiaturus credebatur esse in Austria Equitum supremus Præfectus *Schaffenbergius*, quem sub id illuc locorum Albertus ad
distin-

distinguenda militibus hospitia præmiserat. Interueniens, autem hisce consiliis *Piccolominius*, quippe qui nihil boni suspicabatur, *Altringerio* & *Gallasio* nunciat, intutam esse Pilsam & quæ ipsis nî fugerent, vel vita vel fide constitura sit. Idem simul in aulam perferendum curat. Perturbatus novitate rei Cæsar, *Eggenbergium*, quem tunc temporis inter charos fovebat, diligenter ista celat, vel, nequid emanaret, vel, quod minùs verisimile crederet, tantorum meritorum Ducem tam infamibus ausis contaminaturum fortunas suas esse. Nihilo tamen minùs singulis intentus Cæsar singulis non credulus vivebat. Existimabat enim, Autores famæ vel invidia viri, vel partium studio, vel alio odio talia spargere potuisse, quæ rumoribus excepta veri nihil, falsa omnia plerumq; traherent secum. Et poterant fanè toties à *WALLSTEINIO* exhibita probatæ fidei specimina animum sibi retinere Cæsaris, rejecta Protestantium utilissima postulata, aulæq; fide optima detecta, cæteraq; id genus plura.

§. 88. At sacri ordines nonnulli fomitem suspicionis calefacientes suggerebant, *hereticos ab ipso denuo in ditiones suas admissos, libero relicto externi cultus divini exercitio exstruendo Glogoviae novo templo sumtus præbiturum, Saxonem induciis pacatum, quo*
tempo.

tempore obrui potuisset, obiter habitam Du-
baldi fugam, & Comitis Turriani, amissas
benè gerendæ rei occasiones, secreto cum Ele-
ctoribus Reformatis collusum esse Richelium in
Gallia in amicitiam adductum, inscio Casare,
supremos Tribunos in conjurationem scripta
fidei sponsione allectos. Quibus animum,
Principis semper ad mitiora inclinantem in-
asperius ad extremum concitabant. Igitur
captus Viennæ Schaffenbergius; Criminis, lo-
co objecta proditio civitatis scelus parricidii
Cæsari intentati, depopulatio tractus istius. Ea
promissa WALLSTEINIO manu quoq; & si-
gillo. (Subscriperat enim & ipse chartæ con-
juratorum) At ille pro milite satis fortibus Ar-
gumentis se purgabat & Ducem suum, Fateri se-
se, ad impediendam vicini militis rebellionem
chartæ illi decantatæ à se subscriptum. Cæte-
rum in accusationibus diu, fidelium militum
non suspicionibus, sed iudiciis & rei veritate
agendum esse, chartam illam in rerum natu-
ra extare, posse inquiri, utrum vel apex per-
fidia inesse elucesceret; sperare plus fidei quam
rebellionis in ea reperturos. Non herculè ta-
lia molienti tutiora defuisse, quippe qui ve-
nationi Cæsaris crebræ invigilare potius de-
buisse,

buisse, si eadem tam atrocem animo circumgestare sustinisset. Neq; sic instructo tam spectata fidei cohortes adjungendas fuisse, sed illas potius Tersice potius, & aliorum Ducis cupidissimorum turmas. Sed frustra. Semel enim in animos Principum immissa suspicio non nisi victima placari solet.

§. 89. Interea, ne consiliis dignitas pondus adderet, missus Tribunus *Hieronymus Clausus de Riva Tridentinus*, qui Gallassio curam exercitus offerret, efficeretq; ut quantum fieri posset, in fide ac obsequio Cæsaris retineretur. Nec deerat sibi *WALLSTEINIUS* partim apud Marchionem Onolsbacensem, cui & de suo in Suecos studio significabat, partim apud Franciscum Albertum Lauenburgum Saxonis imperatorem perfugia quærere, quorum posteriori suadebat, ut erga Ratisbonam versus copias moveret, & Vinariensem ad fines Bohemiæ destinaret, uti apertius explicaturum se promittebat, quid vellet, addebat quoque ad majorē securitatem jam se hostem à Cæsare declaratum, & Altringero ac Gallassio traditum in prædam esse, & Picolomineum Pilsa ex mandato Cæsaris imminere; Ubi neutrum horum successerat, relicto ad Pilsæ præsidium Duce *Henrico Julio Lauenburgio*, quanta potest festinatione Ægram contendit, indeq; ad Vinariensem.

sem, ut auxilio qvantocius subveniret creberri-
 mos nuncios ablegat. Sed sive fato, sive ni-
 miae in Cæsarem olim fidei culpa accidebat,
 ut Vinariensis parùm tutum credens iter illud
 fore quod potiùs dolo oblatum suspicabatur,
 captis abstineret. Nec enim persuadere sibi
 poterat fieri posse, ut vel Albertus fidem Cæsari
 frangeret, vel Cæsar ipsius officio se exueret.
 Certe, si, quod rogabatur, accurrisset maturè,
 dubium nullum erat, quin lautissimam fortu-
 nam Suecorum partibus conciliato Alberto ad-
 jecturus fuisset. At DEO aliter visum, fructu
 jam miti & caduco. *ut enim erat parcus Dei
 cultor, & infrequens, sic nunc poenæ magis ma-
 gisq; appropinquabat.*

§. 90. Astrologus sub id tempus præsa-
 gire audiebatur, *vitam WALLSTEINII
 in discrimine versari, fore autem in tuto si illos
 siderum positus excessisset.* Quod ad aures e-
 jus delatum, ad intimas curas & cautissimam
 solertiam demisit, nihil finistri de illis suspica-
 tus, quorum defendendus mox cadebat mani-
 bus. Nam qui Ægram defendebat isthoc tem-
 pore Hibernus gente nomine *Gordon* erat, Ter-
 zicæ tribunus vicarius maximæ apud WALL-
 STEINIUM & Terzicam spei pariter ac fidei.
 Hunc Gallassus per Butlerum ex eadem gente
 Tribunum adoritur, explicataq; Ducis perfidia,
 voluntate Cæsaris, largissimaq; ab illo remu-
 nera-

natione promissa in fide Austriae persistere
 jubet. Novum planè & inexpectatum non
 tantùm perculit virum, sed & in utramq; par-
 tem perfidia à posteris excusandum olim, mi-
 serè distraxit, versavitque, donec ad extremum
 Domino supremo fidem addicendam potius
 esse, quàm privatis alterius meritis secum con-
 stitueret. Eaque de re Gallassium certiores
 mox reddit, seq; erga Tersicam & Albertum
 interim talem gerit, qualem ipsi & fore credi-
 derant, & optabant patiter. Butlerum & Les-
 læum & Robertum Giraldinum quorum ille
 Gordonis, hic Butleri cohortis præfectus erat,
 tùm Waltherum, Debrosium, Magdanielem,
 Dierscium & Brunium turmarum capita omnes
 Hibernos in consilium adsciscit. Re appro-
 bata concluditur, cædi oportere *Tersicam, Illö-
 um & Kinkium*, tantum in eo hæsit cardo quod
 metuerent, ne miles, qui adhuc in affectu erga
 Duces persistebat, interciperet cœpta. Igitur
 placuit, ut Leslæus nomine Gordonis & Butleri
 tres istos ad cœnam in arcem solitum præfecti
 diversorium invitaret. Suspicati mala nulla
 comparuere. Dies fuit XXV. Febr. annus 1634.
 ivit & Comes Niemannus non ita pridem à se-
 cretis Albertus constitutus. Sub vini gaudia
 fremi cœptum, esse in aula nonnullos adversus
 bene meritos Cæsari parùm gratos, sui studio-
 sos, alienæ felicitatis hostes, dignitarum au-
 cupes,

cupes, & pares ferre indociles. Circumlata quoq; in prosperum eventum pocula jaçtataq; in contrà nitentes dirissima convitia.

§. 91, Aderat hora ex compacto jam nota. Intrat Geraldinus octo stipatus armatis, per alteram verò januã, cum duodecim Debrofius, alta voce ingeminantes: *Vivat*. Hanc extemplo Gardon & Bulterus & Leslæus absolvunt. *Imperator & Austria!* addentes, simulq; de mensa exsidentes, amoto secum lumine difugiunt. Ergo prius quam capulo manum injiceret, cadit *Kinskus*, post illum *terzica* ter repetito ictu, (thoracis enim firmitas minorem aciem obtuderat) *Illöus* arrepto ense in angulum se retraxit, certusq; generosè mori, exclamat, *Proditum se, proditum* inq; sceleris Duces conversus. Perfidos & nebulones dicit, Gordonem verò in justum duellum provocat, innumeros ictus excipit, militum duos obtruncat, Lerdam lethaliter vulnerat, postremo eoq; decimo ictu concidit. Niemanus prorumpens ad scalæ descensum ab excubiis inter voces sæpius iteratas, *innocens sum*, confoditur. Dum hæc sic in arce peraguntur, aditus omnes occlusi, ne quis ad Albertum tumultus delabere-
tur, servabantur. Itum denuò in Consilium quid de ipso Duce statuendum & quomodo, quibusdam existimantibus, *tantæ notæ virum à solo Imperatore plectendum esse*, Cæsarem
I capti-

captivitatem non necem ejus imperasse, aliis magno nisu contra euntibus, non nisi morte ejus voluntati Cæsaris morem geri. *A rebellibus enim metui oportere etiam mortuis, Principes magnorum mortes non nisi tectè & per obscura cupere.* Officium fidelis servi esse non exequi tantum scire, sed & interpretari jussa Dominorum. Carcerem non sufficere tanto hospiti: *Novissima fercula talibus esse aptissima.*

S. 92. Cædi destinatus Debrosius cum sua turma vadit igitur ad locum ubi degebat. Dux jam è regione divertentium Illoi & Terzicæ uxorum ululatu excitatus. Inquisitum à milite excubante *quid rerum?* At ecce irruit in Conclave Debrosius, Butlero excubias interim vario sermone distinente. Aperit ad fugam fenestram *Albertus*, sed salutem ex præcipitio non inveniens, exclamant: *Nemon' inter amicos, qui me servet?* Tum ingratum & scelestum dicens invasorem Tribunum bipenni per alvum trajicitur, & cadit. In extremis vel pravè excepta vel obscurè prolata verba notata, quorum mox mille sensus captati. Relatum est, dixisse, *commendo causæ meæ bonitatem Cæsari. Innocens morior, letus tamen, si volente sic Cæsare. Mortem nunquam timui inter exercitus, neq; nunc inter proditores expavesco.* *vi- vit*

vit tamen Deus vindex necis meæ. Neq̄, vel sic efficient hostes mei, ut me mortuo sint felices. Hæc inter expiravit tam valido gemitu, ut adstantes omnes in horrorem daret. Ictum nemo repetiit; nec enim audere videbatur.

§. 93. Hic finis tanti viri, Hic exitus tanti Herois fuit. Facit naufragium, qui tot procellas sedarat, cadit uno ictu machina, quæ jam gloriæ verticem pulsare videbatur. Videtur fronde laurus ad hastæ fulmen, quæ jam surgebat viridis ad templa victoriæ. Transfigitur cuspide in eo loco, ex quo manifestata orbi innocentia suâ occidere, injurias æmulo- rum cogitabat, committit se suorum manibus, & videt illos mox conversos in tot hostes suos. Meditatur vindictam in amicos, & proditur ab amicis. Cogitat terrere omnes, & moritur unius viri lancea.

§. 94. Jam fama latè per Europam discurre- re, & sexcenta resolvere ora populus; pars ex- ecrando res ejus gestas, pars laudando virtu- tem, fortitudinem, innocentiam, nec cessare calamus interim scriptorum, qui certatim de- lato ab extremis ad se oris ventorum alis quasi nuncio æternitati memoriam ejus inferre ag- grediebantur, seculi & posteritatis inter suspi- ciones, virtutemq̄; ambiguum & anceps ju- dicium intemeratæ sententiæ committentes. Id verò præter spēs multorum, atq̄; opinionem

accidit, quod inter tantas copias forissimosq; tot Duces, nemo post patrata[m] cædem hiscere contra occisores vel auditus fuerit, vel visus, adeo ne indicia quidem lugentium præbuere, qui viventis ora Numinis instar adorabant nuper. Quin &, quod insigne mortalitatis ludibrium addo, convitiis ac probris in jacentem non temperatum ab iis, qui florentis ante paucos dies familiarissimè intimeq; fuerant studiosi. Ita quo quis amicior superstiti ad huc fuerat, eo nunc impotentius criminabatur perentem.

§. 95. Paratæ deinde ipsi exequiæ & pompa funebris sine pompa: *Mitsum* vicus inter *Pilsam* & *Ægram* hospitium cadaveri præbuit. Sic cui *Mautolea* & pyramides destinata credebantur, eum clausit in recessu Monachorum *Gitschinium*. Splenduerè tamen in busto ejus lacrymæ optimi pientissimique Cæsaris Ferdinandi recordati procul dubio illius momenti, intra cujus vorticem infelicitas tot bene merentis victoriæ, sudores, pericula, sumtus, confiliaq; felicissima jam absorpta essent. *Miser profecto minister, cujus fortuna hosti lacrymas expressit.*

§. 96. Annus ætatis fatalis *quingvagesimus septimus* fuit, statura decoris plena, proceraq;, compacti validiq; artus, capillus niger, sed jam inalbescens, facies in pallorem vergens, vegeta

vegeta tamen potius quam lurida, vultus feve-
 rus, supercilia alta, nasus aquilinus, genæ nec
 tumidæ nec depressæ, sed quæ sub senium fuge-
 re jam inciperent, pupillæ nigræ, oculus auste-
 rus, & qui defixus timorem incuteret, frons al-
 ta & majestatem ferens, lineis nonnullis, citra
 rugas tamen, intercisâ, os mediocre, labia sub-
 rubra. Cæsaries nulla, rarus tamen antrarum
 ritu capillus retrorsum defluens, & à tempori-
 bus plerumq; post aures reflexus. Barba mo-
 dica, densa tamen, spissaq; & mento eminens,
 mystax erectus sed intra modum. Vestitus in
 campis pellis corii pretiosioris, thorax albicans,
 caligæ rubentes, tenuiore filo, pallium similis
 coloris. Pileus pluma rubea extabat, pedes,
 semper ocreatus erat. Hoc amictu cujus singulæ
 propè Europæ nationes partem sibi tribuunt,
 modò Italiæ, modò Hispaniæ, aliàs Germaniæ
 in morem aptato affectare visus est, vel omni-
 um Cæsaris exemplo favores, vel efficere, ne,
 quod ubiq; cavebat, etiam hac parte viveret
 vulgaris. Victu quotidiano parcus, potu mo-
 deratus, in mensa hilaris, carnes vel bubulam
 vel leporinam, vel vervecinam, nōnunquam &
 pullos amabat, Ceterum deliciarum non secta-
 tor, quarum aucupes *sine corde esse* dictitabat.
 Valetudo inconstans, temperamentum igneum,
 & ad concitandas actiones rapidum ei erat,
 genius ferox, mores sævi, volubiles, impatien-
 tes.

tes & per omnia supra communem sortem, somni breves, pauci sermones, multus meditando, exequendo acer, otiosus nunquam, semper aliquid agens, cupidus rerum novarum, quas per orbem terrarum gestas subinde ex suis perquirebat. Incessu tardus, veluti morbidorum pedum esse solet. Scipionem plerumque gestabat, singulis passibus circumspiciens, oculosq; circumferre observatus. Ambiens metui, amans rigoris, quippe qui supplicia indiscriminatim & ex æquo omnibus irrogabat, blanditiarum gestuumq;, quos Gallia reperit, osor, elegantiae tamen praecipue in consortio suo apprime cultor, splendori imputans si in tentorio suo non nisi armis cincti comparerent. Constantius amplecti neminem sustinuit quam nepotem suum Comitem Maximilianum Heroem & fidei & virtutis egregiae. Ad extremum tamen etiam ab illo dissidere coepit. Intimiùs nullum facilè admisit, quam Joh: Baptistam Senem Genuensem, & Joh: Peronium Florentinum Geometram excellentem. Prae caeteris amabat milites eosq; strenuos & manu promptos. Inter nationes Italicam praecipue colebat tanquam bello fortem ac liberalem, in qua id maximè se dolere profitebatur, quòd numero monachorum obruta & opum mollitie degenerare inciperet. Ordinem sacrum sat tenerè fovebat, nisi si quando in negotio publico se in-

se in-

se ingereret. Tunc quippe nec verbis nec factis abstinebat, quo ad effecisset, ut Principes attenderent, ne plus armis & fraudibus, quam pietati operam darent. Beneficiis prodigus magis, quam mediocris erat, non liberaliter tantum, sed & generose ad magnificentiam usque donatur. In rebus adversis nunquam desperasse visus, semper sui similis, seu victor seu victus recessisset ex acie. Ædificando sumtuosus, præcipuum ingenii sui testem construxit palatium Pragense, regium omnino & non nisi ab alta mente profectum.

Gitschinum multis modis exornavit, cæteraque passim obvia sine numero plura. Vir per omnia summus, Dux bello invictus, Princeps generosus domi, minister prudens, miles acer, ac indefessus, felicior moriendo futurus, si vitam degisset infelicio-rem.

F I N I S.



904638

ULB Halle

3

004 788 397



1017

M.C.



Apus
Jo
GA
in
V
A

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

